BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
18 B
8
13-14.6.68
Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTARIUM
IN BULLAM
PAULI III. *licèt ab Initio*,

Datam anno 1542

Quâ Romanam Inquiſitionem conſtituit, & ejus Regimen non Regularibus, ſed Clero Seculari commiſit.

OSTENDITUR

Quàm opportunum, ac neceſſarium hujuſmodi Conſilium ſit ad Fidem Catholicam conſervandam, ac propagandam, bonos mores fovendos, pacem, ac tranquillitatem inter Catholicos ſanciendam, diſſidia, & querelas ab Eccleſiâ eliminandas, ipſorummet Regularium, ac præterea Clericorum, Laicorum, Academiarum, Populorum denique, ac ſummorum Principum exiſtimationem, ac benevolentiam Romanæ Curiæ uberiùs, ac certiùs conciliandam.

DENIQUE DEMONSTRATUR

Venerabilem Fr. Bartholomæum à Martyribus Dominicanum, Archiepiſcopum Bracarenſem, unà cum aliis Patribus in Tridentino Concilio eandem Sententiam habuiſſe.

ACCESSIT

Appendix Hiſtorico-Theologica de Proſcriptione ſub annum 1725. extortâ contrà Duacenam Academiam ſanctæ Romanæ Sedi addictiſſimam.

M. DCC. L.

Auctor est P. Joan. Bapt. Faure

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

[illegible]

Digitized by Google

MONITUM
AD
LECTOREM.

QUæ Libri hujus fortuna futura ſit, incertum. Hoc tamen indubitatum eſt: Si Libelli judicium penès Clerum Secularem erit, & penès Romanæ Curiæ Prælatos, aut Cardinales, omnia probabuntur; ſi penès Regulares quoſdam, quorum intereſt oculos ad veritatis lucem non aperiri, devovebitur Liber diris ac flammis: Hoc nimirùm Reſponſionis genere utuntur boni iſti

viri, cùm ratio melior in promptu non eſt. Cæterùm aliter ſibi ſatisfieri poſtulat docta hæc ætas, quæ rationibus ducitur, non extortis Cenſuris, quibus augeant potiùs Tyrannidem in Romanæ Eccleſiæ perniciem.

INDEX
CAPITUM

Quæ in hoc Opuſculo continentur, & eorum Synopsis.

PROOEMIUM OPUSCULI. Pag. 1.

Synopsis Prooemii. 1. *Brevis deſcriptio Romanæ Inquiſitionis.* 2. *Graviſſimum odium, atque invidia ubique terrarum in ſanctiſſimum hoc Tribunal conflata, non modò apud Hæreticos, verùm etiam Catholicos.* 3. *Horum odiorum, & querelarum cauſa non ex ipſo ſanctiſſimo Tribunali, ſed ex non ſervatâ præcipuè PAULI III. Conſtitutione, qui cùm Romanam Inquiſitionem inſtituit, eam Clero Seculari committendam cenſuit, non Regulari.*

CAPUT PRIMUM.

Conſtitutio PAULI III. Romanam univerſalem Inquiſitionem Clero Seculari, non Regulari commiſit. 8 Tit. Cap.

Synopsis Capitis. *Primò PAULUS III. Seculari Clero Regimen tribuit Romanæ Inquiſitionis, cujus ipſe eſt Auctor.* 2°. *Quemadmodùm etiam ſubalternas aliarum Urbium Inquiſitiones Canonicis Secularibus, aliâve dignitate Eccleſiaſticâ inſignitis.* 3°. *Dominicani Commiſſarii nulla mentio ſub initium Inſtitutionis, imò potiùs Doctoris Secularis ſub Secretarii nomine.*

CAPUT SECUNDUM.

Tit. Cap. *Quàm ſapienter Romanam Inquiſitionem Clero Seculari attribuendam cenſuerit PAULUS III.* 15

SYNOPSIS 1. *Ab ipſis initiis Judiciariæ Inquiſitionis Seculo XIII. Regularibus Mendicantibus concreditæ, abuſus graviſſimi exorti ſunt.* 2. *Querelæ Prælatorum contrà Mendicantes, in Concilio Lugdunenſi ſecundo.* 3. *Eædem querelæ contrà Inquiſitores & reliquos Mendicantes, ex extravagantibus Joannis XXII.* 4. *Legatus Cardinalis conſtituitur à Clemente VI. ad intolerandos abuſus Fratrum Inquiſitorum coercendos.*

CAPUT TERTIUM.

Tit. Cap. *Conſtitutionem prudentiſſimè latam à PAULO III. evincit Hiſtoria Eccleſiaſtica temporum eidem Paulo Pontifici proximorum.* 21

SYNOPSIS 1. *Dominicanos imprudenti ſeveritate in Hiſpanæ Inquiſitionis adminiſtratione abuſos, ab Inquiſitione gerendâ removet Ferdinandus Rex.*

2. *Ex eâ agendi ſævitie horror Regni Neapolitani in Inquiſitionem, atque diſſidia ac cædes.* 3. *De diſſidio ex causâ Conceptionis B. Mariæ inter Tritbemium Benedictinum, & Wigandum ex Fratribus Dominicanis. Horum artificia in Tritbemium, in Romanâ Curiâ fruſtrà ceſſiſſe, magnâ tamen Dominicani nominis invidiâ.*

4. *Hochſtrati Dominicani in Germaniâ Inquiſitoris contrà Hebræorum libros impru-*

dens ſeveritas, non ſinè avaritiæ famâ.

5. Controverſia ejuſdem cum Joanne Capnione, ſeu Reuchlino, eruditos quoſque in Inquiſitionem, & Romanam curiam commovit, ac viam paravit, ut Lutheri querelæ cum plauſu exciperentur. Ex quibus minùs eſſe opportunam Regularium operam ad Inquiſitionem gerendam, PAULUS III. optimè exiſtimavit.

CAPUT QUARTUM.

Idem comprobant de Lutheranæ Hæreſeos initiis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumenta. 31 *Tit. Cap.*

SYNOPSIS 1. Tetzelii Dominicani Inquiſitoris, aliorumque ex eodem Ordine Quæſtorum in Indulgentiis divulgandis ſcandala.

2. Lutheri Theſes Wittembergenſes falsâ, atque imprudenti cenſurâ damnantur per Tetzelium. 3. Hunc de imprudenti, ac ſuperbâ ferociâ redarguit Miltiz, Apoſtolicus Pontificis Internuncius apud Germanos; quare Tetzelius ex dolore, ac triſtitiâ obit.

4. Ejus Theſes, quas Lutheri Theſibus objecit craſſioribus erroribus refertas fuiſſe, quam Lutheri Theſes Wittembergenſes.

CAPUT QUINTUM.

Silveſtri Prieratis S. Palatii Apoſtolici Magiſtri, & aliquando Inquiſitoris acta in Lutherum, magnam dedêre cauſam Schiſmati Lutherano. 47 *Tit. Cap.*

SYNOPSIS 1. De Luthero & Silveſtro Prierate. Uter ſub initia diſcordiæ in ſcribendo magis arrogans, uter magis modeſtus ac temperans?

2. *Silveſtri in Lutheri Theſes Wittembergi-cas ſcribentis craſſiores, ac turpiores errores.*

3. *Silveſtri in ſcribendo faſtus, erroribus plurimis admixtus, nec ullo pœnæ genere compreſſus, Lutherum in furorem egit.*

4. *Acuit ejuſdem odium in Dominicanos rerum in Romanâ curiâ potentes atque in ipſam Curiam Romanam: eâdem de causâ commoti populi, ac præcipuè eruditi quique in eandem Curiam.*

5. *Eoque magis cum Dominicanorum curis, ac conſiliis effectum eſt, ut idemmet Silveſter in Lutheri Judicem ſtatueretur, nempè, ut idem eſſet Judex, & Pars judicanda.*

CAPUT SEXTUM.

Tit. Cap. *Acta Cajetani in Lutherum, controverſia Lutheranæ, poſtremùm infortunium, nonnulla de Eraſmo.* 67

SYNOPSIS 1. *Cajetanus Dominicanus Cardinalis, & per Germaniam Legatus in Judicem Lutheri Commiſſarium, datus, non ſatis opportunè:*

2. *Importuniſſimâ ſeveritate utitur Cajetanus in Lutherum, cujus ſuſpectæ aſſertiones patiebantur Catholicam Interpretationem.*

3. *Lutherus generalem Palinodiam canit coram Legato, Notario, Teſtibus, & Proceribus. Id Cajetano viſum eſt non eſſe ſatis, magno utique in Lutherum ſævitiæ argumento, non charitatis.*

4. *Quàm diverſo planè modo geſſerit ſe ſe PAULUS III. in duorum Auguſtinianorum causâ, quorum longè clariores errores erant.*

5. *Intentantur à Legato in Lutherum minæ*

cenſurarum, & carceris, ex quâ imprudenti, atque inhumanâ agendi ratione præciſa fuit concordiæ ſpes, & Lutherus præ deſperatione in Præcipitium actus.

6. *Digreſſio de cenſuris ipſo facto incurrendis, earumque enormi multitudine, quibus Eccleſia obruitur per Regulares Mendicantes, ac præcipuè Inquiſitores invectâ. Querelæ ſancti Petri Damiani contrà multitudinem cenſurarum & excommunicationum, quamvis ejus ſeculo non conſtat fuiſſe latæ ſententiæ, ſed ferendæ.*

7. *Ferox agendi ratio, quâ Hochſtratus Inquiſitor, Silveſter, aliique in Eraſmum uſi ſunt gravi periculo Dei Eccleſiam ſubjecit. Ex quibus omnibus perſpicua Pauli Pontificis in ſuâ conſtitutione ſapientia, ac prudentia.*

CAPUT SEPTIMUM.

Utilem, ac neceſſariam PAULI III. Conſtitutionem oſtendunt Eccleſiaſtica Monumenta de Hæreſi Janſenianâ, quæ utrique poteſtati Pontificiæ, ac Regiæ adeò adverſatur. 100 *Tit. Cap.*

SYNOPSIS 1. *In controverſiâ Janſenianâ coram Innocentio X. quàm multùm in favorem Janſeniſtarum laboraverint Commiſſarius S. Officii, & Magiſter ſacri Palatii.*

2. *Acriter ab Alexandro VII. arguuntur magni Vicarii Pariſienſes, quòd dixiſſent Innocentium X. non definiviſſe de facto Janſenii: eadem, ac multò pejora docet Diſſertatio Contenſonii Dominicani, neque in illam à Commiſſariis S. Officii hactenùs animadverſum eſt.*

3. *Anno* 1679. *Commiſſarius S. Officii, cum Magiſtro ſac. Palatii approbant veluti ſanam Doctrinam, & cenſuræ non obnoxiam eam,*

quæ negat gratiam ſufficientem, aliaque docet ſatis abſona.

4. *Anno* 1697. *Commiſſarius S. Officii Arcana nonnulla S. Inquiſitionis patefecit D. du Vaucel, qui Romæ negociorum Queſnelli geſtor erat; ad Queſnellum in Hollandiâ morantem ea notitia perfertur.*

5. *In Controverſiâ Sinenſi plura arcana ſcripta exhibita S. Congregationi, & occulta rerum, quæ agebantur conſilia tranſmittuntur ad Janſeniſtas in Belgio degentes, à quibus in publicis foliis, ſeu gaſulis, ſivè Mercurio Batavico vulgantur.*

6. *D. Charmot in Libro Hiſtoriæ cultûs Sinenſium quem uti Procurator cauſæ Sinenſis typis edidit, publicè negat factum Janſenii dogmaticum, & infallibilitatem Eccleſiæ in eo definiendo. Commiſſarius S. Officii patitur librum publicè divendi, ac vulgari.*

7. *Cauſam Sinenſem in Romanâ Inquiſitione agitatam, conjunctam fuiſſe cum causâ Janſeniſtarum Hollandiæ, ac Lovanii deprædicant, ac ſcribunt ipſimet Janſeniſtæ.*

8. *Liber Obſervationum Moralium Queſnelli S. Officii Congregationi ſæpiùs denunciatur ad proſcriptionem. Dominicani S. Officii cenſuram libri impediunt, ac differunt per ipſos triginta ſeptem annos maximo Gallicanæ Eccleſiæ malo.*

CAPUT OCTAVUM.

Tit. Cap. *Praxis, quam in Romanam Inquiſitionem invexêre Regulares, minùs opportuna eſt Hæreticis, ac Schiſmaticis ad Eccleſiam revocandis: hinc neceſſitas Inquiſitionem commit-*

tendi Seculari Clero, ex PAULI III. conſtitutione. 137

SYNOPSIS 1. *Per Regulares Inquiſitores à ſeculo XIII. invaluit in Eccleſiâ magna acerbitas contrà Hæreticos, cujus uſus cum privatis Hæreticis utilis eſſe poteſt, ſecùs cum populis, ac Regibus, cum quibus ſolâ charitate profici poteſt.*

2. *Septentrionales populi, non errorum amore, ſed odio Eccleſiaſticæ poteſtatis, ac ſeveritatis, jugum Pontificiæ obedientiæ excuſsêre, quare non niſi charitate revocandi, vel demulcendi, non multiplici execratione, ac Anathemate, quo cenſurarum remedio præcipuè hoc negocium geſſit Praxis Regularium Inquiſitorum.*

3. *Ad Praxim lenitatis, ac manſuetudinis pleniſſimam longè accommodatior eſt Clerus Secularis: Id confirmat Eccleſiaſtica Hiſtoria eorum ſæculorum, in quibus ante Regulares Inquiſitores Clerus ſecularis judicia Eccleſiaſtica Hæreticorum moderabatur.*

4. *Mitior Praxis agendi cum Hæreticis populis poſtulat, ut Commiſſarius pendeat à conſultoribus variorum Ordinum, ac nationum, quod ſperare non licet à Regularibus Commiſſariis, qui ſibi ſuiſque Religionibus dominari volunt.*

5. *Ex Opuſculo Tripartito in editione Conciliorum Crabbeanâ, ſeliguntur plura de Græcorum ſchiſmate, quæ ad argumentum faciunt.*

CAPUT NONUM.

Pravis moribus extirpandis non admodum conſentanea eſt Praxis, quâ in Romanâ In- *Tit. Cap.*

quiſitione hactenùs uſi ſunt Regulares: Meliora ex alia Cleri ſecularis Praxi ſperari poſſe. Hæc dici ex odio in Regulares, nemo jure ac meritò criminabitur. 177

Synopsis 1. *De gravioribus quibuſdam criminibus Romana Inquiſitio ſanctiſſimè cognoſcit.*

1. *Reos, quos à primâ accuſatione corripere S. Officii Commiſſarius poſſet, permittit volutari in cœno ſcelerum ad plures interdum annos, donec abſoluta, & cumulata accuſatio inſtruatur.*

3. *Odium, quod ex hâc praxi in Inquiſitionem Romanam derivat.*

4. *Ut iſta ſcribantur, & Sæcularis Clerus in Inquiſitione adminiſtrandâ Regularibus præferendus cenſeatur, non ex irâ, aut odio eſt in Regulares.*

5. *Juriſdictionis Eccleſiaſticæ munera non congruere Regularibus Ordinibus, evincit ratio SS. Dominici, & Franciſci auctoritas, & experientia plurium ſæculorum.*

CAPUT DECIMUM.

Tit. Cap. *Exterorum querelæ de librorum Proſcriptionibus per Romanam Inquiſitionem, non niſi ex Regularium adminiſtratione cauſam habent. Hinc utilitas, ac neceſſitas Conſtitutionis PAULI III. Nonnulla de controverſiâ Conceptionis B. Mariæ.* 199

Synopsis 1. *In proſcribendis, & expurgandis libris conſulendos doctiſſimos diverſarum nationum viros, & interdùm Univerſitates ipſas ex Bullâ Sixti V.*

2. *Plura recenſentur, quibus evincitur gra-*

viſſimum hoc negocium, maximè ex parte in manu eſſe Regularis Commiſſarii.

3. *Modus quoque proſcriptionis levior, aut gravior ex eodem arbitrio ferè pendet. Quàm multæ indè Catbolicorum querelæ ſanctiſſimo Tribunali minùs perbonorificæ.*

4. *Exempla hujus rei in controverſiâ Conceptionis B. Mariæ.*

CAPUT UNDECIMUM.

Ex controverſiis, aut Judiciis de Regularibus, eorumque cauſis, ac perſonis in Tribunali Inquiſitionis Romanæ multiplex querimoniarum Seges. Præſentiſſimum eſſe remedium ex PAULI III. Conſtitutione. 225 Tit. Capi

SYNOPSIS 1. *Intereſt Nationis Germanicæ, Gallicæ, Luſitanicæ, nullas eſſe de Romanâ Inquiſitione querimonias in iis, quæ ſpectant ad Miſſiones Malabaricas, & Sinenſes aliaſque finitimas.*

2. *Suſpiciones contrà Commiſſarium Dominicanum turbant non modò Regulares Italos, verùm etiam reliquos ejuſdem Inſtituti Profeſſores in aliis Regnis, ac Provinciis degentes.*

3. *Pluribus veterum Pontificum Bullis cautum fuit, ne Dominicani Inquiſitores in Franciſcanos inquirerent, aut viciſſim, ut ſcilicet turbæ vitarentur; amplificatâ Juriſdictione Inquiſitionis noſtrâ hâc ætate, plures cauſas ſubeſſe, quare Commiſſarius Regularis reliquis Regularibus ſuſpectus ſit.*

4. *Quæ Bzovius Dominicanus in Annalibus ſtylo virulento in Archiepiſcopum Hiſpalenſem ſupremum Hiſpaniarum Inquiſitorem evo-*

muit, eò quòd Caranzam Dominicanum in carcerem conjeciſſet, ſatis docent, quid alii Regulares exiſtimare, aut ſuſpicari ſaltem poſſint de Dominicano Commiſſario.

5. Quamquam Sæcularis Clerus vitiis etiam obnoxius ſit, multa tamen ſunt, quæ comprobent eum eſſe Regularibus præeligendum in S. Inquiſitionis Officio.

6. Confirmantur quæ dicta ſunt ex abrogatione Decreti Tridentini de impreſſione librorum per Romanos Dominicanos procuratâ.

CAPUT ULTIMUM.

Tit. Cap. *Complectitur ſuffragium V. Bartholomæi de Martyribus, Archiepiſcopi Bracarenſis, & Dominicani cum opuſculi Epilogo.* 258

APPENDICIS INDEX.

Proſcriptio Cenſuræ Duacenſis Recentioris per Sac. Indicis Congregationem ſub annum 1725. 269

COMMEN-

COMMENTARIUM
IN BULLAM PAULI III.
Licet ab Initio,

Datam Anno 1542.

Quâ Romanam Univerſalem Inquiſitionem conſtituit, ejuſque Regimen non Regularibus, ſed Clero Seculari commiſit.

PROOEMIUM OPUSCULI.

Romanæ Inquiſitionis Tribunal, non uno, eodemque hominum genere conſtat, ſed planè multiplici diſparis dignitatis, ac poteſtatis. Ac primò quidem *Cardinales Commiſſarios*, at-

que *Inquiſitores complectitur* certo aliquo numero per Romani Pontificis arbitrium definiendo : *Dominicanum* deinde Commiſſarium, cum ejuſdem Ordinis ſocio : Illius eſt de criminibus, ac criminoſis inquirere, delationes excipere, conficere teſtium examen, Proceſſum inſtruere ad ferendam ſententiam, ſingula quæque neceſſaria diſponere, ſtatutas pœnas exequi, denique omnia ſuarum partium ſunt, ſuæque curationis. Tertio loco *Aſſeſſorem Prælatum*: Cùm enim hoc Tribunal pluribus redditibus abundet, aut Prædiis, plures habeat adminiſtros ſibique ſubſervientes, ac famulantes : lites proindè haud raro ſuboriuntur, quas cùm ad alios Judices deferre non liceat, ad forum ſpectant Prælati Aſſeſſoris. Denique ſatis præcipuum ſibi locum in hoc Tribunali vindicant Conſultores, quorum alii Prælati Juriſprudentes ſunt, alii Regulares Theologi : Ipſe videlicet Commiſſarius Dominicanus cum ejuſdem Ordinis ſocio, Magiſter Generalis Dominicanorum, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter ex eodem Prædicatorum Ordine, quibus ex Sixti V. Decreto unus annumeratur ex Ordine Minorum Conventualium Theologus : Ab Innocentii XIII. temporibus, alii pauci, nonnulli Regula-

res in Conſultores deſignati ſunt Pontificum Arbitrio.

Sacri hujus Tribunalis Conventus omninò tres per hebdomadas celebrantur. 1°. *Congregatio Conſultorum die lunæ*, apud quos omnia diſcutienda proponuntur, ad nutum, & voluntatem Dominicani Commiſſarii; cujus eſt quæcunque velit, vel celare, vel palam efferre. Commiſſario adſtant, quos commemoravi, Dominicani tres: ſi qui ſunt alii Regulares, tùm ii pauci ſunt, tùm Dominicanis non inimici: Etenim ſi ſuſpicio fuiſſet eos parùm amicos eſſe, vel fore, utique Dominicani pro viribus elaboraſſent, ne in Conſultores deligerentur. Jam verò quæcunque Theologica ſunt ad horum Regularium Conſultorum judicia referuntur: Sæculares enim Prælati iis ſeſe ferè tantummodò immiſcent, quæ ſunt Juriſprudentium.

2°. Cardinalium Congregatio die Mercurii in domo ipsâ Dominicanorum, quæ *à S. Maria ſup' à Minervam nuncupatur*: pro arbitrio, ſeu judicio Fratris Commiſſarii, ad hunc Cardinalium Conventum referuntur, ſivè omnia, ſivè plura tantummodò eorum, de quibus actum eſt in priore Conſultorum cœtu.

3°. Poſtremus Conventus die Jovis

celebratur à Cardinalibus coram Pontifice; ea autem ferè probantur, quæ in Congregatione Cardinalium die Mercurii geſta ſunt; quemadmodum Cardinalium Congregatio ea ferè probavit, quæ à Conſultoribus geſta fuerant, Dominicano Commiſſario cum ſuis omnium moderatore, atque adminiſtro: Cùm enim Conſultores reliqui non interſint Congregationi Cardinalium, ac Pontificiæ, niſi peculiari aliquâ de causâ advocentur, ſecùs eſt de Dominicano Commiſſario, quem omnium fieri conſcium, omnibus intereſſe neceſſe eſt.

Hoc nimirum eſt celebre illud Romanæ Inquiſitionis Tribunal, ejuſque regiminis forma noſtrâ hac ætate. Ad ipſum ſcilicet graviſſima quæque referuntur, quidquid ad Fidem Catholicam facit, ad Doctrinam ſive Theſium, ſive Librorum, ad controverſias rituum, ſive Malabaricorum, ſive aliorum quorumcunque, ad lites, & contentiones de B. Mariæ Conceptione, ad ſollicitationum crimina; tandem ut alia omittam ex decreto 1745. etiam eorum inobedientia ad Inquiſitionis Tribunal pertinet, qui Romæ libros typis mandant, vel alibi typis vulgandos curant, abſque facultate Fratris Dominicani Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri.

Quàm multæ querelæ de hoc Sanctiſſimo Inquiſitionis Tribunali excitatæ ſint, imò verò excitentur: quàm multa in ejus odium, vel perniciem dixerint, ſcripſerint, egerint, decreverint Imperatores, Reges, Principes, Regii Senatus, ſive Parlamenta, Univerſitates, Laïci, Eccleſiaſtici, tum Seculares, tum Regulares, Dominicanis exceptis; quàm multa præterea dicant, ſcribant, agant, decernant, ſupervacaneum eſt recenſere, cùm omnibus notiſſima ſint. Excutiatur Univerſa Eccleſiaſtica Hiſtoria: Nullum profecto reperies Sacrum Eccleſiæ Tribunal, quod tot populorum odiis exceptum ſit; teſtes hujus rei ſunt Turbæ Belgicæ, Romanæ, Mediolanenſes, Neapolitanæ uno ſeculo decimo ſexto, ut de poſterioribus temporibus, imò verò noſtris ſileam. Quare nihil mirandum eſt, quòd à tam multis regnis, ac Provinciis, in quibus ſedem fixerat, fuerit non ſine dedecore proturbatum.

Cogitanti mihi, quid tot turbis cauſam dederit, non ego horum malorum cauſam in ſanctiſſimum Inquiſitionis Tribunal rejicio, ſed in ejus adminiſtrationem Regularibus commiſſam; Nimirùm unuſquiſque in eâ vocatione, in qua vocatus eſt maneat. Non in hoc vocati ſunt Re-

gulares Ordines, ut Juriſdictionem contentioſam in Eccleſiâ exerceant, ac criminalem. S. Dominicus primus in Dei Eccleſiâ Inquiſitor fuiſſe dicitur: Verùm qui non univocè cum hodiernis Inquiſitoribus conveniat, ſed ſatis æquivocè: Inquirebat enim ille de Hæreticis, quos invenerat, partim privatis, partim publicis è ſuggeſtu ſermonibus; ad Fidem Catholicam hortabatur; protervi quique, atque in ſuis erroribus defixi ſuis judicibus puniendi committebantur. Hodiernus Inquiſitor judex eſt veriùs, quàm Inquiſitor. Quid autem Regulari viro cum judiciis, cum reorum carcere, Tortura, atque Tortoribus?

Id optimè perſpexit Romanorum Pontificum, ſi quis umquam, prudentiſſimus, PAULUS III. qui cùm Romanæ Inquiſitionis Tribunal noviter conſtitueret, Clero Seculari, non Regulari tradendum cenſuit: quod utinam prioribus ſeculis, utinam ſaltem poſterioribus, ſervatum diligenter fuiſſet! haud profectò tantum odii, atque invidiæ ſanctiſſimo Tribunali conciliatum fuiſſe doleremus. Non negaverim plura in Eccleſiam bona ex Inquiſitoribus Regularibus profecta fuiſſe: At quàm multis malis iiſdemque graviſſimis admixta! neque verò quiſquam

putet multum indè detrimenti Eccleſias accepiſſe, non ipſos tamen Regulares Ordines; Imò verò hos ipſos, maximè Dominicanum Ordinem, plurimùm fractos, ac debilitatos fuiſſe, hac de causâ, aio, atque affirmo. Nimirum honoris, ac poteſtatis per Inquiſitores exercendæ ambitus, cum rei pecuniariæ deſiderio, ubi primùm Regularis viri animum tangit, miſerrimè inficit; ac Prædicationis, Confeſſionis, ſacræque Doctrinæ laboribus ineptum facit. Sanè clariſſimum FF. Prædicatorum Ordinem de Inquiſitione dimittendâ ſeriò cogitaſſe, ipſamque, quantum eſt ex ſe dimiſiſſe, locupletiſſimo teſtimonio ſcimus, Bullario nempè Dominicano per Fr. Bremond noviſſimè evulgato tom. 1. pag. 118.

Acturus de graviſſimo hoc argumento, quod è re Catholicâ eſſe maximè cenſeo, demonſtrandum ſuſcipiam, quàm prudenter, ac piè PAULUS III. Romanam Inquiſitionem, aliaſque ſubalternas, quæ ex ipsâ pendent, Clero Seculari, non Regulari commiſerit; quanto etiam magis hujuſcemodi conſilium noſtræ huic ætati congruat: Quod cùm adhuc factum non fuerit, nihil de tot damnis, ac turbis mirandum ſubeſt: id ſi fiat, naſcetur, ut opinor, rerum Ordo felicior.

CAPUT I.

PAULI III. Conſtitutio Romanam Inquiſitionem non Regularibus, ſed Clero Seculari committit.

ANno 1542. PAULUS III. edidit Conſtitutionem, *Licet ab initio*, quæ eſt in Bullario 34. in qua ſex Cardinales eligit, eoſque *Noſtros*, inquit, *& Apoſtolicæ Sedis in omnibus & ſingulis Reipublicæ Chriſtianæ Civitatibus, Oppidis, Terris, & Locis, tam citra, quàm ultra Montes ubilibet, etiam in Italiâ conſiſtentibus, ac in Romanâ Curiâ, ſuper negotio Fidei Commiſſarios, & Inquiſitores Generales, & generaliſſimos auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium conſtituimus, ac deputamus.*

Quod autem attinet ad ſubalternos Inquiſitores aliarum à Româ Urbium hæc ſtatuit, *necnon ad præmiſſa omnia, & ſingula, in quibuſvis Civitatibus, terris, & locis, de quibus eiſdem Cardinalibus videbitur, & quoties ipſi Cardinales opus eſſe cognoverint; alias perſonas Eccleſiaſticas idoneas, literatas, & Deum timentes in Theologiâ Magiſtros, ſeu in altero Jurium Do-*

ctores , Licentiatos , Baccalaureos , in aliquâ Univerſitate ſtudii generalis graduatos ; in trigeſimo eorum ætatis anno ad minus conſtitutos , ſeu Eccleſiarum Cathedralium Canonicos , vel alias dignitate Eccleſiaſticâ præditos , ſimili aut limitatâ facultate ſubſtituendi , & ſubdelegandi ; ac eos in toto , vel in parte , ſimul , vel ſucceſſivè ad eorumdem Cardinalium libitum , etiam in negociis & cauſis per eos tunc inceptis revocandi , & loco ipſorum alios ſimiliter qualificatos deputandi. Hactenùs Bulla.

In his extra Urbem Inquiſitoribus tria, ut vides , requirit Pontifex , *Doctrinam*, quâ ſint Magiſtri , vel aliàs graduati ; *Ætatem*, quâ pervenerint ad annum trigeſimum ; *Gradum*, quòd ſint ſeu Canonici Cathedralis Eccleſiæ , ſeu in aliâ dignitate Eccleſiaſticâ conſtituti , quod certè non niſi Secularibus Clericis congruit. Quinimò *ſubdelegandi* etiam eâdem ratione dicuntur *ſimiliter qualificati*. Attamen omnes extra urbem Fratres Dominicani ſunt , Patavio , atque Hetruriâ exceptis ; ubi id muneris demandatum eſt Ordini Minorum Conventualium nempè, non quidem Dominicanis , ſed tamen Fratribus.

At , inquies, eſto in conſtituendis Inquiſitoribus extra urbem declinatum ſit

à Legibus Pontificiæ Conſtitutionis: verumtamen nihil tale dici poterit de Romano ipſo Inquiſitionis Tribunali. Quin immò hoc potiſſimum, hoc inquam, à primævâ ſui conſtitutione diſceſſit. Cardinales Commiſſarios, atque Inquiſitores creavit PAULUS III. non tamen *Dominicanum Commiſſarium adjunxit.* Hic ubi primùm adjunctus eſt, aliam induit faciem, naturamque aliam Inquiſitio Romana, univerſumque ejus regimen planè fuit commutatum, tùm enim verò à Clero Seculari ad Dominicanos devolutum eſt. Indè etiam fuit, quod Sedes Inquiſitorum extrà urbem Clericis Secularibus à PAULO III. demandatas, quotquot potuit Dominicanus Ordo ſibi per Italiam uſurpaverit. Quòd, ſi etiam Florentiæ ipſis non licuerit, nihil mirandum eſt, cùm Coſmum Mediceum parum ſibi æquum haberent per ea tempora, quemadmodum legere eſt in Hadriani Hiſtoria lib. 5., & Spondano ad ann. 1545. n. 18. *Florentiæ*, inquit, *non pauci formam regiminis Monarchici averſabantur in ſpem mutationis, ex quibuſdam prædictionibus Hyeronimi Savonarolæ, confortati ſuaſionibus Fratrum Dominicanorum. Coſmus poſtquam Dominicanos monuiſſet ab hujuſmodi ſuſurrationibus abſtinere, cùm*

non obtemperarent; primùm nonnullos eorum in carcerem truſit, deindè dixit, ut omnes alias ſibi Sedes quærerent, reque ipsâ menſe elapſo abeundum iis fuit. Quamvis autem Operâ PAULI III. res compoſitæ fuerint, nemo mirabitur ex Franciſcanis potiùs, quàm Dominicanis Etruſcos Inquiſitores munus hoc in Hetruria exercere.

Quod dixerim Romanam Inquiſitionem Dominicanis conceſſiſſe, cùm primùm Inquiſitionis Commiſſarius ex Ordine Dominicano ſtatutus fuit, id veriſſimum eſſe nemo diffitebitur Romanarum rerum paulò ſcientior. Quod in Sancto Inquiſitionis Officio Commiſſarius præſtat, idem imo verò multo etiam magis in aliis Romanis Congregationibus præſtant Secretarii, penes quos rerum ſummam eſſe, vulgatiſſimum eſt. Commiſſarii autem poteſtas, atque autoritas in negociis S. Officii, tum directa, tum indirecta multò maxima eſt, quod ex infradicendis, clariùs adhuc eluceſcit.

Quàm aliena fuerit PAULI III. mens à Dominicano Commiſſario, conſtat ejus Bullam expendenti: etenim poſt Cardinales Inquiſitores appellatos, ac Conſtitutos hæc addit, *nec non ad effectum præmiſſorum, Procuratorem Fiſcalem, & Notarios*

publicos, *& alios Officiales ad præmiſſa neceſſarios*, *& opportunos*: *etiam Clericos*, *ſivè Religioſos cujuſcunque Ordinis fuerint deputandi & conſtituendi.* Qua in enumeratione cùm à Fiſcali Procuratore poſt Cardinales exordiatur, deinde ad Notarios deſcendat, tum verò ad alios minores, ac levioris momenti Officiales; ſatis oſtendit Pontifex, ſe ne cogitaſſe quidem de Generali Dominicano Commiſſario, qualem hodie conſpicimus, qui poſt Cardinales potiſſimum locum habet: tantumque ſibi autoritatis, ac poteſtatis acquiſivit, quantum in unoquoque Cardinalium ſeorſum non reperies, licèt ſpecioſo Inquiſitorum titulo decorentur. Sanè tantum munus, enumeratis Cardinalibus ante Fiſcalem Procuratorem, ac Notarios recenſere debuerat. Quid! quod ea disjunctiva enunciatio, quæ vagatur inter Clericos Seculares, *ac Regulares cujuſcunque Ordinis*, & de minoribus Officialibus loquitur infra Procuratores Fiſcales, ac Notarios Conſtitutis, ſatis præ ſe fert ſtudium Pontificis, quantoperè nimirùm alienus eſſet, vel ab ipſis inferioris notæ muneribus certo *Dominicanorum Ordini addicendis*.

Verum quidem eſt experientiam rerum Magiſtram abundè docuiſſe, quòd præter Cardinales Inquiſitores, qui ſunt in

ſupremo ejus Tribunalis gradu, præter Procuratores Fiſcales, Notarios, alioſque levioris, aut inferioris notæ homines, opus ſit præcipuo quodam, ſeu Præfecto, ſeu Adminiſtro, qui ſive Secretarium, ſive Commiſſarium, aut alio quocumque nomine appelles, ardua, ac plurima Tribunalis negotia moderetur, diſponat & expediat, ac ſtabile domicilium in Inquiſitionis Palatio ſibi habeat. Verùm juxta Pontificis inſtituentis mentem, primarium adeò munus, cujus eſt omnia temperare, moderari, movere, regere à Clero ſeculari nequaquam diſtrahendum fuerat. Cardinales à primævâ Inſtitutione, non Inquiſitores modò, verùm etiam Commiſſarii conſtituti fuerant. Potuit itaque ex iis Commiſſarius primarius, aut Præfectus deligi, aut ſi id minus commodum erat, & alteri à Cardinalibus demandandum fuit, præſto erat Prælatus aliquis Secularis, qui non Aſſeſſor tantummodò ob forenſes contentiones, ſed etiam Commiſſarius, & eſſet, & appellaretur.

Non omittam edictum contrà Bibliopolas, & Librorum Impreſſores, atque Dohanarum Officiales, &c. datum à Cardinalibus Inquiſitoribus anno 1543. Hoc eſt anno ſecundo à Romanâ Inquiſitione conſtitutâ: Ad ejus calcem ità apponitur,

De *Mandato Illuſtriſſimorum, ac Reverendiſſimorum DD. Cardinalium Inquiſitorum Doctor Alphonſus Martinez Secretarius*: Adeò verum eſt Dominicanos à primævâ inſtitutione excluſos, neque auditum fuiſſe Dominicani Commiſſarii nomen. Vide edictum in Appendice Directorii Inquiſitorum pag. 112. Donec Frater Theophilus à Tropza Calaber Dominicanus, de quo Fontana in Catalogo Commiſſariorum S. Officii, Commendatione Cardinalis Caraffæ, ac ſi nullus idoneus in Clero Seculari eſſet, obtinuit; ut in primum Commiſſarium eligeretur: quod non admodum feliciter ceſſit Cardinali Caraffæ, deinde in Pontificem Paulum IV. electo. Tantâ enim ſeveritate hic Frater Theophilus munus ſuum geſſit, ut Paulo IV. defuncto, ſeditio Romanorum excitata fuerit in Inquiſitores, in Dominicanos, in ipſum Paulum IV. ejuſque ſtatuas, atque inſignia. Vide Raynaldum, & Ciacconium.

CAPUT II.

Quàm ſapienter Romanam Inquiſitionem Clero ſeculari committendam Paulus III. cenſuerit.

MAximis Privilegiis Sedes Apoſtolica inſignivit ab ipſis eorum initiis utrumque Ordinem Prædicatorum, ac Minorum, in Sacramentis adminiſtrandis, verbi Dei Prædicatione, Inquiſitionis munere exercendo; Quamquam munus hoc Dominicanis præcipuè Fratribus creditum fuerit; quod quidem implebant unà cum Sacris Concionibus, nec ſine Epiſcoporum conſenſu, ut in tantæ animadverſionis judicio *non poſtponenda Pontificum auctoritas intercederet*, uti loquitur Urbanus IV. in ſuis Apoſtolicis Literis, quas Pegna in Directorii Appendice recitat pag. 41. Facilè autem fuit tot Privilegiis abuti Fratres in Inquiſitionis præcipuè cauſis, ac Proceſſibus: Fratres, inquam, ut puto Dei zelo inſtructos, non autem Juris, ac fori peritiâ, ut ea omittam, quæ humanitùs peccari contigit. Quàm multæ indè turbæ exortæ fuerint, deprehenſum eſt in Concilio

Lugdunenſi II. anno 1274. Numerus Prælatorum qui interfuerunt, fuit quingentorum Epiſcoporum, Abbatum ſeptuaginta, aliorum Prælatorum mille: Hæc ſcribit Ptolomæus Lucenſis lib. 13. Hiſt. Eccleſ. cap. 3. tom. II. Scriptor. Rerum Italicarum pag. 1166., qui Patrum numerus excedit reliqua hactenùs celebrata Concilia, jam verò, inquit, Frater Ferdinandus del Caſtiglio in Hiſtoriâ Ordinis S. Dominici Part. 1. lib. 3. cap. 39.
„ Ac ſi in adeò magno, ac ſolemni Con-
„ gregatione nihil aliud eſſet, quòd age-
„ retur; auditæ undecumque fuêre que-
„ rimoniæ innumeræ contrà Fratres Do-
„ minicanos, & Franciſcanos: Quotquot
„ in eo Concilio fuêre Epiſcopi, atque
„ Presbyteri, totidem fuêre veluti Fiſ-
„ cales Procuratores in Mendicantes:
„ *Quorum plures*, ſubdit del Caſtiglio,
„ *conſultiùs egiſſent*, *ſi tot querelarum cau-*
„ *ſas præcidere ſtuduiſſent.*" Jam pridem anno 1256. Alexander IV. cùm Pariſiis haberetur Capitulum Generale F.F. Prædicatorum, eos monuit de *Querelis Epiſcoporum*: Cæterùm cùm res omnes in pejus ruerent, tùm alia remedia tentata ſunt, tùm Clemens IV. anno 1266. ſuis Apoſtolicis Literis Fratres admonuit de *Querelis Orbis Catholici* propter abuſum facultatum,

facultatum, quas iis Romana Sedes impartita fuerat. In quibus ſanè quæ majores turbas cum Epiſcopis, ac Laïcis miſcere poterant, erant procul-dubio Inquiſitorum ampliſſima Privilegia. Legatur Hiſtoricus loc. cit.

Iterùm in Viennenſi Concilio ann. 1311. Trecentorum Patrum: „ Multorum, inquit, Clemens V. querela Sedis Apoſtolicæ pulſavit auditum, quod nonnulli Inquiſitores per Sedem eandem contrà pravitates Hæreticorum deputati, metas ſibi traditas excedentes, ſic interdum extendunt ſuæ poteſtatis officium, ut quod in augmentum Fidei per circumſpectam ejuſdem Sedis Apoſtolicæ vigilantiam ſalubriter eſt proviſum, dum ſub pietatis ſpecie gravantur innoxii, cedat in fidelium detrimentum." Deinde plura Pontifex conſtituit, quibus coarctat facultates Inquiſitorum in favorem Epiſcopalis auctoritatis. Graviora hæc fiebant ex aliis abuſibus in Sacramentis adminiſtrandis per eadem ipſa tempora, de quibus hæc habet Joannes XXII. In extrav. 1ª. *de judiciis*, „ Frequentes, imò innumeræ quodammodo de diverſis mundi partibus Venerabilium Fratrum noſtrorum Epiſcoporum aliorumque Superiorum Prælatorum,

„ nec non dilectorum filiorum Recto-
„ rum, Curatorum, & Paræcialium Sa-
„ cerdotum querelæ contrà dilectos fi-
„ lios Fratres Prædicatorum, & Mino-
„ rum Ordinum, noſtrum, & Sedis Apo-
„ ſtolicæ excitârunt auditum, & cla-
„ moſis inſinuationibus excitare, & fa-
„ tigare non ceſſant." Nimirùm cùm Mendicantes per Inquiſitoratûs officium partem ſibi non contemnendam acquiſiviſſent Epiſcopalis auctoritatis, vix ſperari poterat futurum, ut ne in hoc, aliiſque Eccleſiaſticis muneribus æquitatis limites tranſilirent, *ne multa gravamina inferrent*, *& injurias*, *ac jacturas*. Quæ ſunt verba ejuſdem Pontificis in eadem Extravaganti. Idem qui ſuprà Clemens V. nonnullos Inquiſitorum Mendicantium abuſus nobis patefecit in Clementina *Nolentes* 2. *de Hæreticis* ex Viennenſi Concilio. „ Nolentes, inquit,
„ ſplendorem ſolitum negotii Fidei per
„ actus indiſcretos, & improbos quo-
„ rumvis Inquiſitorum Hæreticæ pra-
„ vitatis, quaſi tenebroſi fumi caligine
„ obfuſcari: Hoc Sacro Concilio appro-
„ bante ſtatuimus, &c. tàm ipſorum In-
„ quiſitorum, quàm Epiſcoporum, ſeu
„ Capitulorum, Sede Vacante ſuper hoc
„ deputatis Commiſſariis, quibuſcunque

„ diſtrictiùs injungentes, ne prætextu
„ officii Inquiſitionis, quibuſcunque mo-
„ dis illicitis, ab aliquibus pecuniam ex-
„ torqueant, nec ſcienter attentent Ec-
„ cleſiarum bona, ob Clericorum deli-
„ ctum prædicti occaſione Officii, Fiſco
„ etiam Eccleſiæ applicare." Facillimum autem erat, ut turpiſſimum avaritiæ crimen ſubreperet, quòd Innocentius IV. utique ex Fratrum Mendicantium Conſilio, ac precibus anno 1253. *Archiepiſcopis, & Epiſcopis injunxerat*, ut de pœnis *pecuniariis exactis providerent Inquiſitoribus in Expenſis*: Literæ Apoſtolicæ leguntur in Appendice Directorii Eymerici, & Pegnæ p. 12. „ Addit ibidem Cle-
„ mens V. Inquiſitoribus ipſis diſtri-
„ ctiùs inhibemus, ut nec abutantur
„ quomodolibet privilegio portationis ar-
„ morum, nec officiales, niſi ſibi neceſ-
„ ſarios habeant." Alium nobis abuſum detegit Joannes XXII. in Extravaganti. *Cùm Matthæus* 3. *de Hæreticis* inter communes. „ Cùm, inquit, Matthæus
„ de Pontiniano Ordinis Prædicatorum,
„ Inquiſitor Hæreticæ pravitatis in Re-
„ gno Siciliæ, frivolâ occaſione quæſi-
„ tâ, ac noſtrâ, & Apoſtolicæ Sedis re-
„ verentiâ & honore poſtpoſitis, in di-
„ lectum Filium Archidiaconum, &c."

Excommunicationis Sententiam, inconſultis motibus non ſine multâ temeritate, duxerit proferendam &c. Malorum colluviem, ſivè Inquiſitorum inſcitiâ, ſivè pravitate per Italiam univerſam longè latèque manaſſe, teſtatus eſt Clemens VI. Bernardo enim Cardinali Tituli S. Marci, & Apoſtolico per omnem Eccleſiaſticam ditionem Legato in mandatis dedit, ut certior fieret de iis, quæ pravè per Inquiſitores geſta fuiſſent; diligentiſſimèque curaret, ut quicumque per eos vexati fuiſſent, Pontificii Legati æquitate ſublevarentur. Fruſtrà hoc objiciunt adverſarii Inquiſitionis (*Vide l'Hiſtoire de l'Inquiſ. & ſon Origine* lib. 7. pag. 293.) Non hæc fuit *Inquiſitionis* culpa, ſed *Fratrum Inquiſitorum*. Quid enim ab iis expectes, quorum plures generis obſcuritas, familiæque tenuitas, plurimos juriſprudentiæ, forique inſcitia, omnes Eccleſiaſticæ gubernationis imperitia tantæ poteſtati, quantùm ſibi habebant Inquiſitores, non modò non idoneos, ſed maximè impares atteſtabatur? Eoque magis, quòd per ea tempora Generalis, aut Provinciales Ordinum poterant pro ſua voluntate, quos ex ſuis aptos cenſerent, Inquiſitoris dignitate inſignire. Hæc qui diligentiùs expenderit, omninò intelliget, nihil potuiſſe

à PAULO III. ſapientius excogitari, quàm ut Clerum Secularem in Inquiſitione adminiſtrandâ conſtitueret.

CAPUT III.

Conſtitutionem prudentiſſimè latam à PAULO III. evincet Hiſtoria Eccleſiaſtica temporum PAULO III. proximiorum.

AT quoniam per ſingula excurrere infinitum eſſet, tempora expendamus PAULO III. Pontifici propiora, ut deindè clariùs luce ipsâ conſtet, quantæ prudentiæ fuerit Romanam Inquiſitionem, amotis Regularibus, uni Clero Seculari permitti. Cùm Hiſpanias à Maurorum jugo vindicaſſent Ferdinandus Catholicus cum Iſabellâ conjuge, Maurorum plurimi in Africam trajecêre; reliquis licuit in Hiſpaniis commorari, eâ tamen lege victis datâ, ut Chriſtiano Baptiſmo abluerentur, quod & Judæis imperatum eſt, magno numero Hiſpaniam incolentibus. Id non niſi per fictionem, ac mendacium impletum à pleriſque fuiſſe animadvertit Turrecremata Dominicanus, non ille quidem Canoniſta

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

percelebris, & ad Cardinalatum evectus. Auctor itaque Iſabellæ, ac deindè Ferdinando fuit, ut Inquiſitionis Tribunal ſtatueret contra tam multos fictè, ac fallaciter baptiſatos, verè autem ſuperſtitioſos, ſicubi deprehenderentur. Pontificis accedente conſenſu, Turrecremata ipſè in Inquiſitorem electus eſt; cæterùm optimi conſilii auctor, non illud optimè eſt executus. Illud erat Religioſi viri, hoc autem Eccleſiaſtici Judicis. Quemadmodum Europa univerſa à Jove ad Chriſtum traducta fuit ſacris Prædicationibus, piiſque libris, ac bonorum exemplo, idem fas erat exiſtimare de Mauris à Mahomete ad Chriſtum convertendis: præmiorum autem ſpes, ac pœnarum metus per Inquiſitores ſobriâ ſeveritate irrogandarum, non niſi in ſubſidium advocanda erant: Conſentaneè ad has Leges, quas à SS. Patribus, ac præcipuè ab Auguſtino contra Donatiſtas agente, accepimus, actum fuiſſet: ſi Turrecrematæ, aliiſque Dominicanis, ac Mendicantibus Evangelicæ Prædicationis munus demandatum eſſet, Clericis Secularibus in Inquiſitores electis ad Judiciarios Proceſſus conficiendos, pœnaſque paternâ ſeveritate taxandas. Verùm cùm Dominicanus Turrecremata,

cui in gratiarum diviſione Doctoris munus obtigerat, ſeveri Judicis, atque Inquiſitoris auctoritatem ſibi vindicaſſet, quatuordecim annorum ſpatio, quo id munus adminiſtravit, ſuprà centum reorum millia Judiciariis proceſſibus vexavit, eorum ſex millia flammis adjudicavit, num vel unum ad Deum converterit corde puro, & fide non fictâ, haud ſatis ſcio. Vide Hiſt. Inq. lib. 2. pag. 160. & Mariana in Hiſt. Hiſp. qui plura ex dictis confirmat.

His per Ferdinandum Catholicum animadverſis, cogitatum eſt de Hiſpanicâ Inquiſitione Seculari Clero demandandâ. Idque opere executus eſt; Dominicanis, aliiſque Regularibus ab eo munere amotis, ac non nullis ſolummodò in Conſultores ex hoc, vel illo Ordine adſcitis. Vide Azorium in Inſtit. verb. Inquiſitor. Horridas carcerum anguſtias, tormentorum acerbitatem, lugubres omnis generis apparatus ad terrorem, ac metum incutiendum, bonorum publicationes, familiarum excidia, conſuetum Judiciorum ordinem in pluribus prætermiſſum, aliaque hujus generis in Hiſpaniis per Dominicanos peracta, crudelitatis potiùs, quàm zeli ſpeciem præ ſe ferentia, maximè in causâ fuêre, cur iis

pervulgatis, Neapolitani populi averſiſſimos uſque ab eo tempore animos in Inquiſitionem habuerint. Id teſtantur ex eadem natione Scriptores, ex quibus unum appello Petrum Giannonem lib. 36. cap. 5. tom. 2. pag. mihi 56. Quo eodem quinto capite legat, cui per otium licet, turbas, diſſidia, cædes, quas ad Inquiſitionem avertendam ab eo tempore Neapolitani perpeſſi ſunt. Quare vel Giannone ipſo teſte non ex Inquiſitione, ſed ex ejus per Dominicanos regimine, graviſſima Neapolitanorum odia primitùs extitêre.

Verùm de Dominicanis per Germaniam Inquiſitoribus non nulla videamus. Narrat Trithemius in Chronico ſui Monaſterii ad annum 1494. ſe eo anno ſcripſiſſe „ Commentarium de Laudibus S. „ Annæ; cùmque in eo de puriſſimâ Con„ ceptione B. Mariæ mentionem feciſ„ ſet, quemdam Wigandum Ordinis „ Prædicatorii, hominem quidem ſatis „ doctum, ſed temerarium ac ſuperbum, „ opus quoad puritatem Conceptionis „ impugnare voluiſſe, verùm ab ipſo „ Trithemio validè. & cum irriſione „ fuiſſe repulſum; eâque ratione adver„ sùs Wigandum plures alios viros do„ ctiſſimos ſcripſiſſe, donec poſt bien-

„ nium Wigandus opinionem ſuam abjuravit : Nihilominùs Prædicatores in „ Curiâ Romanâ apud Alexandrum VI. „ ſubdolè adversùs Trithemium egiſſe, „ ſed nihil profeciſſe : habuiſſe Trithemium ſibi conſtantiſſimè adhærentes „ Univerſitates Pariſienſem, Colonienſem, Tubingenſem, totumque Ordinem Carmelitarum, Ordinem Minorum, S. R. E. majorem partem Cardinalium, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Principes multos, ac penè „ omnem in Germaniâ Clerum, & viros doctos, atque eruditos innumerabiles." Hactenùs Trithemius, & cum eo Spondanus ad ann. 1494.

Hæc cùm Germaniam in Dominicanos, tum in Germaniâ ipsâ, tum Romæ degentes, ſeu potiùs dominantes commoviſſent, importuniſſimè accidit, ut Hochſtrati Dominicani Inquiſitoris ferociâ, fortaſſe etiam avaritiâ, graviores adhuc motus excitarentur. Hebræi ſiquidem Neophiti cujuſdam callido concilio adductus Hebræos libros proſcripſit Inquiſitor, atque è Judæorum manibus eripiendos decrevit, quippe qui in eam ſpem venerat, ut jacturam librorum ſuorum ſuperſtitioſa gens copioſâ pecuniâ redimeret. Hoc palam jactatum eſſe teſ-

tantur *vitæ Philoſophorum Germanorum in Reuchlino*, ſeu *Capnione*: neque id alienum erat à moribus Eccleſiaſticorum Officialium in Germaniâ, à quibus etiam habendarum concubinarum, facultas certo pretio emi conſueverat, de quibus aliiſque avaritiæ ſordibus teſtis eſt ſcriptura *centum gravaminum* à Diætâ Norimbergenſi Apoſtolico Nuncio oblata anno 1522. Conſilium ex Reuchlino exquiſivit Cæſar, qui non omnes Judæorum libros flammis dandos cenſuit, cùm multa Rabbinorum volumina Sacris Bibliis explicandis inſerviant, ſed tantùm ſuperſtitioſos, & in rectos uſus planè inutiles. Causâ cecidit Inquiſitor, totâ Germaniâ plaudente; verùm injuriam ſibi, ut putabat illatam ulturus, Inquiſitoriâ autoritate abutens acriter invaſit in libellum Joannis Reuchlini, cui titulus *Speculum oculare*, pleriſque autem doctis, atque eruditis Reuchlinum defendentibus, delata fuit cauſæ cognitio ad Leonem X.; qui per ſuum in Germaniâ Legatum ita pronuntiavit: „ Pronunciamus, decernimus & „ declaramus libellum ocularis ſpeculi „ cum ſuâ annexâ declaratione in actis „ cauſæ deductum à D. Joanne Reuchlino „ Doctore compilatum, atque editum „ de ſuſpicione, atque inſimulatione hæ-

„ reticæ pravitatis, aliiſque criminibus „ ſibi per Fratrem Jacobum Hochſtratum hac in cauſâ ex adverſo Principalem, eique adhærentes: indebitè, temerariè, injuſtè, tacitâ veritate fuiſſe, „ & eſſe notatum, atque diffamatum, & „ infra. Simili modo, pari noſtrâ ſententiâ definitivâ, antedictum Fratrem „ Inquiſitorem in expenſis in hujuſmodi „ cauſâ pro parte dicti D. Reuchlini „ condemnamus &c." Vide D. Simon in Critica Dupin. tom. 1. lib. 7. Cæterum novas appellationes ad Romanam curiam interpoſuit Hochſtratus, quibus nihil profecit aliud, quàm, ut ſe, ſuoſque Dominicanos famâ tyrannicæ, ut palam dicebatur, poteſtatis inviſos, in majorem adhuc malevolentiam vocaret, magno Romanæ Sedis contemptu, de quâ peſſimè merebatur Adminiſtratorum infamia. Emanârunt ex hoc nequiſſimo fonte irriſiones, contumeliæ, dicteria eruditorum virorum, qui Rhetorici dicebantur, in Mendicantes: quorum plurimos afficit illud Eraſmi Epiſt. 1033. edit. Lugd. Bat. „ De Epiſcopis non ita magna eſt querimonia, de Romano Pontifice, deque „ his qui ſub illius titulo regnant, multo „ major, de Monachis, præſertim *Mendicantibus multò graviſſima.*" Legenda

ſunt, quæ de hac hiſtoria habet Raynaldus in annalibus Eccleſiaſticis ad annum 1516. num. 84. „ Hochſtratus ex Prædicatorum Ordine Theologus, qui „ cenſuram ſacram agebat, Reuchlino „ crimen hæreſeos intendit. Commota „ fuit inde in Dominicanos maxima in- „ vidia, quippe literarum cultiorum „ amantes, quorum Princeps erat Eraſ- „ mus, Reuchlini cauſam tuendam ſuſ- „ cepêre, conſcriptis libellis non Domi- „ nicanos modò, verùm etiam Theolo- „ gos veluti agreſtes & barbaros, ob vo- „ cum inconditarum in ſcholis uſum de- „ ridere, ludibrioque habere cœperunt: „ tùm verò maximè religioſarum fami- „ liarum alumnos proſcindere dicteriis, „ & per ora hominum traducere, nec non „ ſacræ *Fidei Inquiſitores inſimulârunt ty-* „ *rannidis intolerandæ*, qui viros, quorum „ gloriæ ſplendore perſtringerentur; per „ invidiam, ac ſummum nefas injuſtâ „ hæreſeos notâ opprimere niterentur.

„ Diſcuſſâ Reuchlini causâ, Theologi, „ uti invidi calumniatores malè audie- „ runt in aulâ Cæſareâ, quod Maximi- „ liani ad Leonem Pontificem literæ, „ indicant, tum verò apud ſubſellia „ Apoſtolica non defuêre, qui eundem „ Reuchlinum tuerentur accuſatoreſque,

„ ut iniquos deterrerent, inter quos Al-
„ bertus Pius Carporum Princeps, eru-
„ ditionis laude præſtans extitit. Inde
„ verò cenſorum, ſeu Inquiſitorum Fidei
„ autoritas adeò obſolevit, ut exorientem
„ poſteà Lutherum Hæreſiarcham com-
„ primere non potuerint. Nam cùm
„ Theologi illum Judicio cœpiſſent per-
„ ſequi, univerſa mox Rethorum, ac
„ Poëtarum cohors malevolentiâ, jam in
„ Reuchlinianâ causâ imbuta in Theolo-
„ gos, illi ſe inprovidè conjunxit. Atque
„ hinc conflatum eſſe Turbinem Luthe-
„ ranum, qui adeò Eccleſiam Dei con-
„ cuſſit, affirmat conſtanter Albertus Pius
„ in ſuo reſponſo primo ad Eraſmum.

Hactenùs Raynaldus in Annalibus. Eraſmi autem verba, quibus quantum ad hoc attinet, concinit ejus acerrimus adverſarius Albertus Pius, hæc ſunt. „ Non
„ dubito, quin audita tibi ſit Reuchlinica
„ Tragedia. Hinc cœpit in illos Dominica-
„ nos incrudeſcere doctorum odium; mox
„ fervente adhuc bello inter myſtas, &
„ oſores Muſarum exortus eſt Lutherus."
Addendum eſt Teſtimonium Alberti Carporum Principis, qui eâ tempeſtate florebat, & tum Luthero, tum Eraſmo, quem falsò putavit favere Hæreſi Lutheranæ infenſiſſimus fuit: Quapropter ejus

teſtimonium maximæ eſt auctoritatis. „ Exorta, inquit, controverſia Reu- „ chliniana, ex quo Fonte primæ aquæ „ (Lutheranæ diſcordiæ) ſcaturiêre. Non „ enim illius cauſæ expers fui; immo & „ meâ erga viros doctos conſuetudine „ non vulgariter favi Reuchlinio apud „ Leonem X. quod Literæ ipſius ad „ me teſtantur, deterruique accuſatorem „ ipſius Hochſtratum, ne tam vehemens „ eſſet, mitiùſque in ipſum ageret. Ex „ quæſtione illâ prodiêre primùm *Epiſtolæ* „ *obſcurorum virorum*, quibus feſtiviſſimè „ ridebantur Theologi minùs elegantes. „ Indè demum factum eſt, ut quotquot „ eruditorum amabant bonas literas, ſe „ Lutheri naſcentis furore fautores exhi- „ buerint. Hæc cauſa tantorum malorum „ fuit: " Hactenùs Albertus Pius: quæ ſi vera ſunt, ut certè veriſſima ſunt, univerſi Dominicani Inquiſitores non tantum Eccleſiæ boni attulêre, quantum attulit mali Inquiſitor Hochſtratus, cum alio pariter Dominicano Inquiſitore Tetzelio, de quo mox dicendum erit, cùm Lutheranæ Hæreſi, aliiſque in numeris ex ipſâ profectis occaſionem dedêre, illudque effecerunt, ut Septentrionales Populi ab Eccleſiâ deficerent. *Loquor autem de Inquiſitoribus Judicibus, quales noſtrâ ætate*

habemus. Nam S. Dominicus, & S. Petrus Martyr erant *ex Inquiſitorum Concionatorum numero*, qui verbo, & exemplo contra Hæreticos præliabantur *Prælia Domini*, quod Inquiſitionis genus maximè proprium eſtRegularium virorum :eorum etiam perſonas, atque errores ſicubi laterent, *inquirebant*, atque inveſtigabant, ut iis detectis, nec ad fidem converſis, legitima poteſtas de eorum cauſâ judiciario more cognoſceret.

Reuchlinicæ Controverſiæ memoria obliterata nequaquam erat PAULI III. ætate, quin imò multo compertiſſima. Quare nihil mirari ſubit, quòd non Regularibus, ſed Seculari Clero Romanam Inquiſitionem aſſignaverit.

CAPUT IV.

Monumenta Eccleſiaſtica de Hæreſeos Lutheranæ initiis PAULI III. in ſuâ Conſtitutione ferendâ Sapientiam comprobant.

NUlla contra Dominicanos Inquiſitores querimonia gravior, quàm quæ excitata fuit contra Tetzelium Dominicanum, eundemque Inquiſitorem, qui

cum ſuis Dominicanis electus præ Auguſtianis Eremitis fuit, ad Indulgentias Pontificias evulgandas. „ Dum Tetzelius,
„ & alii, quibus ea res commiſſa erat,
„ inquit Raynaldus in Annalibus Eccleſiaſticis ad annum 1517. n. 59. de In-
„ dulgentiis ad Populum concionantur,
„ earumque virtutem magnificè prædi-
„ cant, fortè voces quædam per impru-
„ dentiam illis exciderunt, &c.... Fue-
„ runt in vulgo, qui redempti Indul-
„ gentiarum diplomatis ſecuri, de verâ
„ Pœnitentiâ, ejuſque dignis fructibus
„ parùm cogitârint, hoc uno contenti,
„ quòd Indulgentiarum diploma ære ſuo
„ redemptum haberent." Hæc Raynaldus, quæ non eſſe fictitia teſtatur Diæta Norimbergenſis in ſcripto *centum Gravaminum*, quod per Nuncium Pontificium ad Papam tranſmitti curavit anno 1552. & alias etiam tranſmiſerat. „ Hæc
„ enim habet n°. 3. Per Indulgentiarum
„ conductitios præcones, ac Prædicatores
„ profligata eſt germana Chriſtianorum
„ pietas, dum qui extrudere volebant
„ venales ſuas Bullas, occinebant ſuis
„ mercibus laudes miras, & inauditas:
„ condonari per emptitias has condonatio-
„ nes nedum noxas præteritas, aut futu-
„ ras viventium, ſed & vita defuncto-
rum....

„ rum...... Modò numeretur aliquid,
„ modò tinniat dextera. Atque his mer-
„ cium nundinationibus ſimul & ſpo-
„ liata eſt ære Germania & Chriſti pie-
„ tas extincta, quando quilibet pro modo
„ pretii, quod in has merces expenderat,
„ peccandi impunitatem ſibi polliceba-
„ tur. Hinc ſtupra, inceſtus, adulteria,
„ perjuria, homicidia, furta, rapinæ, fæ-
„ nora, ac tota malorum lerna ſemel ori-
„ ginem ſibi traxerunt. Hactenùs Ma-
„ gnates Germani ad Pontificem.

Sed ad Raynaldum redeamus. „ Hanc,
„ inquit, nactus occaſionem Lutherus,
„ ad Archiepiſcopum Moguntinum lite-
„ ras dedit ultimo Octobris 1517. exa-
„ ratas, quibus eum monuit. Circumfe-
„ runtur, inquit, Indulgentiæ Papales...
„ doleo falſiſſimas intelligentias populi
„ ex illis conceptas..... Credunt infe-
„ lices animæ, ſi literas Indulgentiarum
„ redemerint, ſe ſecuros eſſe de ſalute
„ ſuâ. Item quòd animæ de Purgatorio
„ ſtatim evolant, ubi contributionem in
„ ciſtam conjecerint. Cur ergo per illas
„ falſas Veniarum fabulas, & promiſſio-
„ nes, Prædicatores earum faciunt popu-
„ lum ſecurum, & ſine timore; cùm In-
„ dulgentiæ prorsùs nihil boni conferant
„ animabus ad ſalutem & ſanctitatem,

„ ſed tantummodò pœnam externam olim
„ canonicè imponi ſolitam auferant.

Hæc à Luthero in recitatâ Epiſtolâ aſſerta opinio falſa eſt, ſed fuiſſe quorumdam antiquorum Theologorum teſtantur S. Thomas & S. Bonaventura apud Bellarm. de Indulgentiis l. 1. cap. 7. & Suarez in 3. p. diſput. 50. ſect. 3. quam omnes referunt abſque cenſurâ hæreſeos, quam non merebatur, ſaltem Lutheri temporibus ante Tridentinum Concilium. Neque enim omnia quæ in Pontificum Decretalibus Juri Canonico inſertis extant; tanquam Fidei articuli traduntur. Satiùs igitur fuerat Tetzelium in abuſus evellendos incubuiſſe, & falſæ pietatis fabulas, eamque opinionem, SS. Thomæ & Bonaventuræ exemplo, pacato animo in ſcholis refellere, miſſis turbis & contentionibus. Quid quod in Theſibus Wittenbergenſibus, quas eodem tempore evulgavit hæc habet Theſi 28. „ Certum eſt nummo in ciſtâ tinniente augeri quæſtum „ & avaritiam poſſe, ſuffragium autem „ Eccleſiæ eſt in arbitrio Dei ſolius ". Quare dùm dicebat ſolam pœnam Canonicam remitti per Indulgentias, exponi benigniùs poterat de remiſſione *abſolutâ*, & *omninò infallibili*. Suffragium autem in Dei foro effectum ſuum habere, non omninò

negabat, ſaltem conditionatè & dependenter à *divinâ acceptatione*, quod non pauci Theologi ſensêre: Addo duas Lutheri ex eodem folio Theſes 31. & 32. „ Contrà „ Veniarum Apoſtolicarum veritatem qui „ loquitur, ſit ille Anathema, & male- „ dictus. Qui verò contrà libidinem, ac „ licentiam verborum Concionatoris Ve- „ niarum agit, ſit ille benedictus." Ex quibus animus Lutheri apparet, eo tempore nondum Hæretici, in ſuis 95. Theſibus Wittenbergenſibus. Proſequor narrationem Raynaldi. „ Qui, inquit, ex mune- „ ris ſui dignitate ejuſmodi controverſias „ tollere debuerat Tetzelius Ord. Præd... „ imprudenter incendium auxiſſe fertur.. „ inquiſitor, ingenio ferox, & corpore „ robuſtus, indignum ferens Lutheri „ protervam audaciam, ut par pari re- „ ferret, centum & ſex edidit Propo- „ ſitiones, quibus contrariam explica- „ bat ſententiam. Hâc itaque Propoſi- „ tionum editione viſa eſt conteſtata in- „ ter hos duos Antagoniſtas eſſe lis tur- „ bulentæ contentionis, quæ mox anno „ ſequenti in apertum efflavit incendium, „ quo pax & unitas Eccleſiæ diſſoluta „ fuit."

Ipſemet Raynaldus ad annum ſequentem 1518. n. 100. hæc recitat ex Ulem-

bergio „ Quia verò ſatis intellexerat
„ [Miltiz Apoſtolicus Internuncius] ex
„ hac actione circumforaneos illos Indul-
„ gentiarum Præcones, qui Luthero pri-
„ mam contradicendi occaſionem dede-
„ runt, non eſſe prorsùs inculpabiles;
„ Tetzelium ad ſe vocatum duriùs incre-
„ pavit, quòd abuſus non ſuſtulerit bo-
„ norum omnium judicio minimè tole-
„ randos, & quòd fretus auctoritate Pon-
„ tificis (hæc enim verò maximè adno-
„ tanda ſunt) arbitratu ſuo multa geſſe-
„ rit, quæ probari ac defendi nequeant:
„ & factum, ut & Sedi Apoſtolicæ fæ-
„ dam aſperſerit maculam, & huic tàm
„ periculoſo certamini magnam occaſio-
„ nem præbuerit, quo nomine rationem
„ aliquando ſit Pontifici redditurus. Ter-
„ ritus hâc increpatione Tetzelius, pau-
„ lò poſt in morbum incidit, cùmque
„ juſtam Pontificis indignationem me-
„ tueret, ſollicitudine, curis, & animi
„ mœrore confectus, ſupremum vitæ
„ diem clauſit. Cæteros etiam Tetzelia-
„ nos Adminiſtros admiſiſſe tradit Flori-
„ mundus Raymundus in divulgandis In-
„ dulgentiis corruptelas graviſſimas, cùm
„ illi emungendarum à Fideli Populo pe-
„ cuniarum, quàm expiandarum anima-
„ rum majori ſtudio urerentur." Hacte-

nùs Raynaldus; cui concinit illud Eraſmi in reſponſione ad Albertum Pium : „ Do-
„ minicani quidam hæc de Indulgentiis
„ nimis adulanter, & imprudenter, ac
„ propè dixerim blaſphemè jactantes apud
„ populum, excitârunt Lutherum, ut
„ proponeret aliquot Propoſitiones diſ-
„ putandas.

Quid autem Inquiſitor Tetzelius pro concione dixerit, ejuſque ſocii, ex iis intelligi poteſt, quæ ipſe ſcripſit in Theſibus centum & ſex, quas Lutheri prioribus Theſibus oppoſuit. Longum eſſet per ſingula excurrere : Nonnulla commemorabo : Inde enim evidentiſſima erit PAULI III. ſapientia, quâ non Fratribus, ſed Clericis ſanctum Inquiſitionis Officium adminiſtrandum ſuâ Conſtitutione decrevit.

Itaque in ſua 3. & 4. Theſi [in duas enim partitus eſt ad numeri pompam] hæc ſcripſit Tetzel. „ Quiſquis ergo di-
„ cit Chriſtum, dum prædicavit, *Pœ-*
„ *nitentiam agite*; ſic voluiſſe pœniten-
„ tiam interiorem, & carnis mortifica-
„ tionem, ut non etiam docere, vel coin-
„ telligere potuerit Pœnitentiæ Sacra-
„ mentum, ejuſque partes Confeſſionem,
„ & Satisfactionem tanquam obligatorias,
„ errat : Imò nihil nunc juvat, ſi inte-

„ rior pœnitentia etiam operetur exterio-
„ rem mortificationem, niſi adſit facto,
„ vel voto Confeſſio, & Satisfactio.

At certum eſt Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum poſt Reſurrectionem Joann. cap. 20. quod ità etiam eo tempore pervulgatum erat, ut deinde Tridentinum Seſſ. 14. cap. 1. id definierit: Quomodo igitur ferè ante tres annos in principio prædicationis docere Chriſtus potuit in recitatis verbis Confeſſionem, & Satisfactionem, tanquam obligatorias? Legatur Suarez in 3. p. tom. 3 diſp. 17. Sect. 1. & ad qu. 84 D. Thom. in Comm. Artic. VII., ibidemque Thomiſtæ reliqui. Quo jure igitur reprehendi potuit tanquam error, Lutheri aſſertio; quæ in illis verbis Pœnitentiam virtutem intelligebat, non Sacramentum? Vix poteſt explicari, quantùm damni Eccleſiæ Dei illatum ſit per hujuſmodi falſas, ac præcipites Dominicanorum Inquiſitorum Cenſuras. Meritò Lutherus in Epiſt. ad Leonem X. ſcriptâ die SSmæ Trinitatis anno 1518. conqueritur de Dominicanis:
„ Ignis comminationem, & Hæretici no-
„ minis opprobrium..... Incredibile eſt
„ quàm propenſi ſint intentare, quando-
„ que etiam ſi in meris opinioſiſque nu-
„ gis ſuis contradictionem ſenſerint: Si

„ tamen hoc eſt ſcandala ſedare, ac non „ potiùs merâ tyrannide ſchiſmata, & „ ſeditiones tandem ſuſcitare." Utinam his æquiſſimis querelis auſcultaviſſet Leo Pontifex; ſed vetebant ii Regulares, qui poteſtatem ſuam etiam Romæ exercebant.

Theſis 60. ſic habet „ Rariſſimos eſſe, „ & non etiam plurimos, juxtà formam „ Jubilæi agentes, qui conſequantur Ve„ nias. Error.

Plenaria Venia ab omni pœnâ, etiam venialibus debitâ haberi nequit, abſque prævio dolore omnis omninò culpæ, etiam venialis, & idoneo propoſito. Hunc animum, quis dicat plurimis communem eſſe, ut Tetzelius, & non potiùs rariſſimum, ut aſſerebat Lutherus? Quàm immeritò igitur hujus aſſertio hæreticis erroribus annumerata fuit per Dominicanum Inquiſitorem?

Theſis 61. „Relaxatum, inquit, per Ve„ nias plenarias, juxtà formam reſcripti, „ videlicet verè confeſſum, & contritum, „ non eſſe ſecurum de ſuâ ſalute. Error.

Audis portentum Aſſertionis? nemò abſque peculiari revelatione, ut deindè definivit Tridentinum, ſcire poteſt, ſe ritè confeſſum & contritum, neque ſecurus eſſe poteſt de aſſecutione Indulgentiæ, & de præſenti animæ ſuæ ſtatu ſa-

lutari : Hoc autem Judicium *ſi ſum verè confeſſus... & contritus, ſum in ſtatu ſalutis.* Non parit ſecuritatem, ſed timorem magnum, cùm de veritate conditionis incertus ſim. Adde illa verba, *ſecurum eſſe de ſuâ ſalute*, rudi populo pro concione evulgata, nedum propugnata in Theſibus, præ ſe ferunt ſecuritatem in futurum, nempè de æternâ ſalute aſſequendâ, quâ ſæpiſſimè decepti populi, pecunias pro Bullâ Indulgentiæ conſequendâ conferebant, & ad peccandum incitabantur.

Theſis 64. „ Non eſſe Chriſtianum dogma, quod redempturi, pro amicis confeſſionalia, vel purgandis Animabus „ Jubilæum, poſſunt hæc facere abſque „ contritione, error." Audivi quid ſit lucrari Indulgentiam pro alio etiam vivente, quâ de re Gabriel, Adrianus, aliique cum Suarez tom. 3. in 3. p. diſp. 13. Sect. 3. At quodnam ſit hoc dogma Chriſtianum de redimendis Confeſſionalibus pro amicis, abſque ullâ neceſſitate contritionis, planè non intelligo. Suſpicor de aliquâ praxi non ſatis piâ, quæ per ea tempora vigeret ad Germanorum crumenas per malos Concionatores emungendas.

Quod autem dicitur de Animabus Purgatorii, ſanè auditu, ac lectu indigniſſimum eſt; eſt enim optima Sententia An-

geli. Verb. Indulgentia n°. 21. & Cardinalis, in Clem. 2. de Pœnitentiis, & Remiſſ., aliorumque Theologorum, neceſſarium eſſe ſtatum gratiæ ad lucrandam Indulgentiam pro Defunctis. Quis itaque ferat, quòd Apoſtolicus Inquiſitor in eam, velut in errorem vociferetur?

Piget me omnes Theſes excutere, in quibus immeritò erroris Lutherum inſimulavit, & in rabiem adegit, ut tandem in veras hæreſes prolapſus ſit: Verùm antequam in earum barathrum ſe ſe præcipitem daret... Et quis, inquit, Eraſmus in Apolog. ad Blaſphemias Stunicæ tom. 9. oper. pag. 374. „ Et quis ex viris bonis non favebat Luthero? Nimirùm quædam erant, quæ diutiùs „ ferre mundus non poterat... Nec hic „ affectus tot clamoribus, tot Bullis, „ tot edictis, tot cenſuris, tot libellis extundi poteſt è mentibus populi, adeo „ ut verear, ne niſi radices amputentur, „ undè malum hoc jam toties repullulat, „ ſit aliquando majore cum pernicie erupturum." Sed optimis Eraſmi conſiliis, quæ ſæpè pluribus ad Pontifices, & Cardinales epiſtolis dedit, obtemperatum non eſt, quamquam PAULUS III. agnoverit tandem, perditis tamen rebus, ac profligatis, Eraſmi optima conſilia; eumque

licèt invitum, ac repugnantem Cardinalem decreverat, niſi Eraſmi mors interceſſiſſet; conſtant hæc ex Epiſt. inter Eraſmicas, præcipuè ex Epiſt. 1288., & ingenuè aſſerit Natalis Alexander in Hiſt. Sæcul. XVI. in Eraſmo.

Alias Theſes ſecundæ diſputationis Tetzelius ann. 1517. Inquiſitor vulgavit contra Lutherum, adhuc non avulſum ab obedientiâ Eccleſiæ, & Romani Pontificis. „ In quibus (inquit) quiſquis pro Hæretico, Schiſmatico, pertinaci, contumaci, erroneo, ſeditioſo, maleſonanti, temerario, & injurioſo cavendus ſit, primo intuitu planè videbitur.

Quiſquis hæc legerit, intelliget in Epiſt. 403. ad Roffenſem rectè ſcripſiſſe Eraſmum ſub ea tempora: " Utinam Chriſtus tandem experrectus liberet populum ſuum à tam multiplici tyrannide; quæ, niſi proſpectum fuerit, eò vi deturevaſura, ut tolerabilius ſit futurum, vel Turcarum pati Tyrannidem." Idem Epiſt. 671. queritur de morte Reuchlini, ſive Capnionis, quem Hochſtratus Inquiſitor cum ſuis Fratribus non quidem vicit, ſed tamen per decennium in Germaniâ, & Urbe vexavit, eique vitam, ut putatum eſt, curis, ac moleſtiis imminuit. „ Ex Germanis, inquit, nul-

„ lum deſidero præter Joannem Capnio-
„ nem, qui florenti quidem ſenectute,
„ ſed tamen juſtâ functus eſt. Poterat ad-
„ huc diù ſuccurrere publicis ſtudiis,
„ niſi ſic viſum eſſet ſuperis condere quæ-
„ dam animantia, quæ nihil aliud quàm
„ lædunt. Bos arat, equus geſtat, ovis
„ paſcit. Quid faciunt crabrones, cyno-
„ myæ, viperæ & cantharides? " Hæc nimirum contingere neceſſe fuit, cùm Regularibus dari placuit, quæ Clericorum Sæcularium erant. S. Dominicus Ordinem Prædicatorum inſtituit, non Judicum Inquiſitorum: Ipſe quidem genus quoddam Inquiſitionis exercuit, ſed concionando, non judicando, nec reos in carceres adigendo, examinando, torquendo.

Theſes 2. diſputationis Tetzelianæ non minus ſtomachum movent: aliquas delibabo.

Theſis 3. hoc dicit. „ Docendi ſunt
„ Chriſtiani, quod Papa Juriſdictionis
„ autoritate ſuperior totâ univerſali Ec-
„ cleſiâ, & Concilio, quodque Statutis
„ ſuis humiliter ſit obediendum.

Theſes 4. „ Docendi ſunt Chriſtiani,
„ quod Papa ea quæ ſunt Fidei ſolus ha-
„ bet determinare.

Theſes 14. „ Docendi ſunt Chriſtiani,
„ quod veritatem, & Fidem de Indul-

„ gentiis habendis nullus mortalium, imò
„ nec Concilium generale, ſed ſolus Papa
„ poteſt determinare.

Nemo ſatis intelligit, quam bilem, hæc & ſimilia innumera in populis excitarent contra Inquiſitores, & Romanum Pontificem. Dum omnia in populis depravata eſſent, tu mihi eos edocendos dicis de ſcholaſticis quæſtionibus ſuper autoritate Papæ ac Concilii &c. Scriptura Diætæ Norimbergenſis n. 85. „ Præterea, inquit, Officiales auri ſacrâ fame pellecti; uſuras, ac pecuniæ fœnus illicitum, nedum non interdicunt, ſed & paſſim permittunt, fovent, tutantur: Inſuper etiam Clericos, Religioſoſque & Seculares, accepto ab iiſdem annuo cenſu, publicè cum ſuis concubinis, pellicibus, & aliis id genus meretricibus illegitimè cohabitare, liberoſque procreare ſinunt." Reminiſcor hoc loco ejus, quod habet Eraſmus tom. 9. Operum *ad Notata per Beddam* pag. 485. „ Eſt apud P. Germanos Epiſcopus quidam, qui ipſe dixit in convivio, uno anno ad ſe delata undecim millia Sacerdotum Concubinariorum, nam tales ſingulis annis pendunt aliquid Epiſcopo." Quàm opportuniùs contra hæc docendi fuiſſent Chriſtiani.

Regredior ad ſcriptum Norimbergenſe Rom. Pontifici oblatum ann. 1522. ubi n. 90. hoc legitur. „ Potior Parochorum, „ Sacerdotum, Monachorum, aliorum- „ que Eccleſiaſticorum pars in diverſo- „ riis, ſtabulis, ac choreis populorum „ turbis ſe immiſcent: in plateis item ha- „ bitu minùs decenti, ut puta gladiis, „ veſtibuſque ludicris; præterea rixis, „ jurgiis, litibus, altercationibus, Laicos „ ad iras & conſequenter ad arma pro- „ vocant, vulnerant, non nunquam etiam „ contodiunt: Dein excommunicationis „ fulmine miſerabiles illos Laicos, vel „ quos læſerunt eo uſque divexant, quo- „ uſque ad libitum ſuum Laici ſe cum his „ compoſuerint." Legatur idem ſcriptum Diætæ Norimbergenſis ſub titulo 82. *Quam levibus ex cauſis pauperibus Sacramenta denegentur*: *ſub titulo* 86. *de non ferendis ultra oneribus, quibus miſera plebs pro Sacramentorum adminiſtratione gravatur*: Legantur graviſſima alia ſcelera ſub ſingulis titulis: Quo igitur tempore tanta criminum colluvies per Germaniam, imò univerſam Chriſti Eccleſiam exundat; tu Apoſtolicus Inquiſitor & concionator putas te, atque alios facturos operæ pretium, ſi pro concione Dei populum doceas de ſuperioritate Papæ in Concilium

&c. idemque doceant & cæteri. Non itaque immeritò de his hominibus adeò miſerè rem Catholicam gerentibus ſcribit Eraſmus tantæ pravitatis acerrimus inſectator, & ideò Mendicantibus plurimis eorum temporum inviſus, in Appendice Apologiæ contra Stunicam de non nullis Dominicanis Lovanienſibus & Colonienſibus, non nullis etiam Carmelitis. „ Habent, inquit, Fidem & Pontificem „ in ore, ſed quidam illorum, diſperеam „ niſi pluris faciunt unum lautum con- „ vivium, quàm totum Pontificem cum „ Fide Catholicâ, & ſic agunt Pontificis „ negotium, ut ſi quis vellet eum invi- „ ſum reddere bonis omnibus, non poſſet „ magis. " Nùm ii homines Pontificem odio, atque irriſioni obnoxium facerent, disjudicet, qui ſequentia legerit.

Theſes 17. „ Docendi ſunt Chriſtiani, „ quod Eccleſia multa tenet, ut Catho- „ licas veritates, quæ tamen ſicut nec in „ Canone Bibliæ, ità nec à Doctoribus „ antiquioribus ponuntur. " Quantum hæc odium, atque irriſionem Univerſæ Eccleſiæ conciliant, quæ non alia fidelibus explicat, niſi quæ in verbo, ſcripto, aut tradito continentur, neque alias agnoſcit Catholicas veritates?

His adde Theſim 89. ex primâ diſpu-

tatione Tetzelianâ : Lutherus enim præferens opera Evangelica Indulgentiis dixerat, quod, *ſi Campanarum ſonitu, aliiſque Ceremoniis indicuntur Indulgentiæ, majori pompâ prædicandum erat Evangelium.* Non abnuo hoc Lutheri dictum debere ſano modo intelligi, ac prudenter. Quis tamen ferat huic propoſitioni erroris notam per Tetzelium inuri &c. Itaque hoc Tetzel. vulgavit Theſi 89. *Mentem Pontificis eſſe, quod ſi unâ Campanâ, unis Pompis, ac Ceremoniis Veniæ celebrentur, Evangelium centum Campanis, Pompis, ac Ceremoniis.* Error. Hæc Tetzel. An non hoc eſt deridendum Pontificem propinare &c. Vide cui tandem propoſitioni teterrima erroris cenſura inuratur &c.

CAPUT V.

Silveſtri Prieratis S. Palatii Apoſtolici Magiſtri, & aliquando Inquiſitoris Acta in Lutherum, magnam cauſam dedêre Schiſmati-Lutherano.

Ex his aliiſque multis, quæ prætermitto, exacerbatus eſt per Tetzelium

Inquiſitorem Lutherus : At multò etiam magis per Silveſtrum Prieratèm, Magiſtrum S. Palatii, & aliquo etiam tempore Inquiſitorem in nonnullis Lombardiæ Civitatibus. Illicò, ut Lutheri Theſes accepit Silveſter, calamum acuit, ac libellum conſcripſit: At quem Deus bone! Conferamus, ſi placet utriuſque in ſcribendo modeſtiam : Ad ſuas 95. Theſes hanc addidit proteſtationem publicam, typiſque vulgavit Lutherus.

„ Ego Martinus Luther, publicè teſtatum volo, propoſitiones aliquot contrà Pontificales, ut vocant, Indulgentias à me editas eſſe; etſi autem me hactenùs, neque celeberrima hæc, & laudatiſſima ſchola noſtra, neque Civilis, aut Eccleſiaſtica poteſtas condemnaverit, ſunt tamen, ut audio, quidam præcipitis, atque audacis ingenii homines, qui re quaſi benè cognitâ & perſpectâ, hæreticum me pronunciare audent. Ego verò, ut ante ſæpè, ità nunc quoque per Fidem Chriſtianam obteſtor ſingulos, vel ut meliorem mihi monſtrent viam, ſi quibus hæc divinitùs eſt revelata, vel certè ſuam ſententiam Dei, & Eccleſiæ Judicio ſubmittant; non enim adeò temerarius ſum, ut meam ſolius opinionem cæteris omnibus

„ nibus anteferam, neque tam ſtupidus „ etiam, ut Verbum Dei fabulis humanâ „ ratione excogitatis præferre velim:" Hæc Lutherus: Audiamus jam Silveſtrum Dominicanum. Libelli titulus hic fuit.

„ Reverendi P. Fr. Silveſtri Prieratis „ Ord. Prædicatorum, & S. Theologiæ „ Profeſſoris celeberrimi, Sacrique Pala- „ tii Apoſtolici Magiſtri in præſumptuo- „ ſas Martini Lutheri Concluſiones, de „ Poteſtate Papæ, Dialogus.

„ Non potui, quin Martino, neſcio „ cui Luther, qui in veritatem ipſam, „ & hanc S. Sedem cervicem elevatam „ oſtentat, me ſcutum opponerem pro Se- „ dis hujus, proque veritatis honore, ac „ majeſtate pugnaturus. Tridui labore „ iſtud abſumpſi..... Ità fiet, ut tantâ „ ſim poſt hâc fiduciâ; ac ſi fidâ loricâ „ inſtructus eſſem, ut etiam ſatanam ip- „ ſum, in futuro certamine non exti- „ meſcam, imò avidus experiri cupiam, „ an *Ferreum naſum*, aut *Caput æneum* ge- „ rat iſte Martinus, ut effringi non poſſit." At non unus Silveſter eâ ætate fuit. Eraſ- mus Epiſt. 551. datâ Lovanio ann. 1520. „ Hic ego lapidor quotidiè Dominicano- „ rum & Carmelitarum conviciis, id eſt „ nominatim, & in publicis concionibus. „ Sed nihil aliud efficiunt, niſi ut popu-

„ lus intelligat, illos agitari malis furiis." Et Epiſt. 76. ann. 1525. Cùm à Dominicanis Lovanienſibus liber in ipſum editus fuiſſet plenus conviciis...... „ Adversùs Lutheranam factionem, haud „ abſque capitis mei periculo, & iſthic „ Lovanio ſuſcitantur tales Tragediæ.... „ Eſt mihi pax cum Pontifice, cum Cæſare, cum Ferdinando, cum Cardinalibus, cum Regibus, cum Orthodoxis Epiſcopis, cum uno Egmundano, cum Vincentio Alamerienſi pax „ coire non poteſt" (horum prior Carmelita erat, alter Dominicanus, ambo arcto fœdere juncti cum Hochſtrato Dominicano Inquiſitore) „ Toties dixi & „ repeto; ſi quid offenditur in libris „ meis, quod meritò offendat aures, animoſque veſtros, indicate, mutabitur: „ & habebitur gratia. Diſſentimus inter „ nos verbis potiùs, quàm ſententiis: Ego „ paratus ſum omnem animi rancorem deponere, non aliter quàm ſi ſim hodie „ moriturus; ſi qui ſunt inter vos, qui „ pacem aſpernantur, hæc epiſtola me „ liberabit apud Chriſti Tribunal." Ità ille Eraſmus, quem Fratres ac Regulares plurimi, tanquam ſemi-hæreticum diffamârunt.

Quid autem in eo Dialogo ſcripſerit

Silveſter, quàm quod dignum eſſet recitato Prologo? quatuor dicendorum fundamenta poſuit, ommitto priora duo.

Fundamentum 3. ſic habebat. „ Quicunque non innititur doctrinæ Eccleſiæ Romanæ, ac Romani Pontificis, „ tanquam regulæ Fidei infallibili, à quâ „ etiam S. Scriptura robur trahit, & au- „ thoritatem, Hæreticus eſt." Audivimus Eccleſiam, Pontificem, autoritatem ex S. Scripturis habere; ſed ſacram Scripturam habere ſuam auctoritatem à Romano Pontifice non ſine horrore, ac ſcandalo ex Silveſtro audimus, atque ità audimus, ut niſi etiam credamus, Hæretici judicemur.

Fundam 4. „ Eccleſia Romana, ſicut „ verbo, ità & facto poteſt circà Fidem & „ Mores aliquid decernere... Qui circà In- „ dulgentias dicit Eccleſiam Romanam „ non poſſe facere, quod de facto facit, hæ- „ reticus eſt." Eſtne quo ulteriùs pertingat putida Adulatio? Aliam ab hoc Silveſtro Fidem habebat S. Pius V. qui improbavit Quæſtores Indulgentiarum, quibus innocenter uſi fuerant Romani Pontifices, eoſque à Dei Eccleſia eliminavit: Ac ne omnes percurram, aliam ab hoc Silveſtro Fidem habuêre tot alii Romani Pontifices, qui aliquando priorum facta in Beneficiorum col-

lationibus, reſignationibus, permutationibus, regreſſibus, aliiſque non approbârunt: ſed pudet me in re perſpicuâ immorari.

His erroneis fundamentis, quantam ineptiarum & errorum molem ſuperſtruxerit Silveſter, optimus cæteroquin Canoniſta, prolixum eſſet recenſere.

Ad Concluſionem Lutheri 23. „ Claves, inquit, Eccleſiæ de attrito faciunt
„ contritum: undè omnis qui cum attri-
„ tione confitetur, conſequitur contri-
„ tionem & gratiam, & conſequenter in-
„ dulgentiam & ſalutem, ſi perſeverat.
„ Sunt autem valdè multi, qui Indul-
„ gentiarum tempore confitentur, ſi cre-
„ dunt ſe mortali peccato detineri, & cum
„ attritione, id eſt dolore imperfecto,
„ qui tunc eſt, quando homo vellet ha-
„ bere dolorem, & gratiam à Deo nun-
„ quam de cætero peccandi: undè om-
„ nes tales conſequuntur gratiam, & con-
„ ſequenter indulgentiam, niſi poſt con-
„ feſſiones, ante Veniæ acceptationem
„ relabantur.

Satis hæc ſunt ad intelligendum, quæ moralis Theologia eâ ætate ante Medinæ probabiliſmum dominaretur. Vir adeò celebris, & Inquiſitor, & Magiſter Sacri Palatii Silveſter opinionem tuetur ſcribens contrà Lutherum, quam noſtro hoc

ævo tanquam palmarem errorem nemo non rejicit: omnes ſiquidem cum Tridentino dolorem, ac propoſitum; non deſiderium doloris, ſatis eſſe ad Sacramentum docent.

Concluſio 27. Lutheri „ Hominem, „ inquit, prædicant: qui ſtatim, ut ja„ ctus nummus in ciſtam tinnierit, evola„ re dicunt animam." Quibus in hunc modum Silveſter reſpondet : Prædicator, „ qui animam, quæ in Purgatorio deti„ netur, aſtruens evolare in eo inſtanti, „ in quo plenè factum eſt illud, gratiâ „ cujus plena Venia datur; putà dejecit „ aurum in pelvim, non hominem, ſed „ meram, & Catholicam veritatem præ„ dicat. Tu verò oppoſitum dogmatizans, „ ſi pertinaciam addideris, vide juxtà „ prædicta, quid indè merearis, factum „ & Doctrinam S. Romanæ Eccleſiæ „ reprehendens : Nec plus eſt reprehen„ ſibilis Declamator ſic docens, quàm „ coquus faſtidienti ſtomacho ſubſtantia„ les cibos accidentalibus ſaporibus exa„ cuens." Mitto ineptias de ſaporibus, & coquo, de doctrina expoſtulo : Quæritur inter Theologos, quid diſcriminis interſit inter Indulgentiam conceſſam vivis per modum abſolutionis, & defunctis per modum ſuffragii ? Varii varia. Ca-

jetanus tom. 1. Opuſc. Tract. 16. quæſt. ſ. & 6. Cano lib. 12. de locis Theol cap. 13. & Corduba quæſt. 1ſ. de Indulg. Ità explicant, ut dicant Indulgentiam per modum ſuffragii non eſſe infallibilem omninò, ſed pendere ſemper ex liberâ acceptatione, & miſericordiâ Dei. Hæc opinio celeberrima ex diametro opponitur opinioni Silveſtri. Verùm ne mihi pluſquam evagandum ſit, legendus ex modernis Amort. in ſuo Tractatu de Indulgentiis. Indè agnoſci poteſt, quàm alienum ſit à mente graviorum Theologorum, animam evolare è Purgatorio ad tinnitum aurei decidentis in pelvim, quam Silveſter vocat meram, & catholicam veritatem, cui qui repugnet, habendus ſit Hæreticus dogmatizans.

Ad Concluſionem 28. Lutheri „ Certum eſt nummo in ciſtâ tinniente augeri quæſtum & avaritiam poſſe, Suffragium autem Eccleſiæ eſt in arbitrio Dei ſolius. " Hæc reponit Silveſter. „ Certum eſt etiam iſtam Concluſionem eſſe detractoriam, & viri ponentis os in Cœlum, nec minùs certum eſt, erroneum, & hæreticum eſſe dicere, quòd extante causâ rationabili, Papa non poteſt pro voluntate plus & minùs dare de Suffragio unius alteri, cùm hoc Deus ſibi conceſſerit.

Quid hoc arrogantius dici potuit, & à veritate magis alienum? Mitto Cajetanum, Canum & Cordubam, quos jam retuli, legatur Amort. & alii, ut intelligatur, quàm multùm pendeat ex arbitrio divino, & ex quibuſdam diſpoſitionibus, non modò defunctorum, ſed etiam vivorum Indulgentia, ſi opinionibus ſtandum ſit Theologorum celeberrimorum.

Interim ad has cenſuras veluti de Hæreſi toties in Lutherum jactatas à Silveſtro, & quidem ſub ea prima tempora immeritò, quis ſe contineat, ne uſurpet verba Eraſmi ità ſcribentis ad Albertum Cardinalem Moguntinum de Dominicanis inimicis Capnionis, quorum præcipuus Inquiſitor Hochſtratus: „Ob quamlibet, inquit, levem cauſam, ſtatim hoc
„ habent in ore, Hæreſis eſt. Olim hæreticus habebatur, qui diſſentiebat ab
„ Evangeliis, ab articulis Fidei, aut ab
„ his, qui cum iis parem obtinerent auctoritatem. Nunc ſi quis unquam diſſentiat à Thomâ Aquinate, vocatur Hæreticus, imò ſi quis à Commentitiâ ratione, quam heri Sophiſta quiſpiam in
„ Scholis commentus eſt; quidquid non
„ placet, quidquid non intelligunt, Hæreſis eſt, Græcè ſcire Hæreſis eſt, expolitè loqui Hæreſis eſt, quidquid ipſi

„ non faciunt Hæreſis eſt. Fateor grave „ crimen eſt viciatæ Fidei, ſed non oportet quidvis trahere in quæſtionem Fidei, & qui tractant Fidei negotium, „ debent ab omni ſpecie ambitionis, quæſtûs, aut odii, vindictæque procul abeſſe. At quid iſti præ ſe ferant, quis eſt, „ qui non videat?" Hæc ab Eraſmo non hyperbolicè dici, ſed omninò veriſſimè ſciet quiſquis vel ex ſolis duobus tomis literarum Eraſmi, aliorumque eruditiſſimorum virorum, quæ unà admiſcentur, leget innumera horum omnium exempla. In Silveſtri Dialogo, de quo modò agitur, hæc habentur ad Concluſ. Luth. 15. *Ego verò cum D. Thomâ, cujus Doctrina, quantùm ad Fidem, & Mores attinet, per regulam Fidei Eccleſiam Romanam & diſcuſſa, & probata eſt, dico*, &c. quibus conſonat, quod Caſtro teſtatur, ſe ſuis auribus audiviſſe à Dominicano Concionatore, & refert etiam Cardinalis d'Aguirre ſub finem ſuæ Theologiæ.

Quiſquis D. Thomæ contradicit, Hæreticus eſt. Illud etiam veriſſimum, quod de linguis dicebatur ab Eraſmo, nam Dominicanis pleroſque ſuſpectos fuiſſe Hæreſeos, tantùm, quia græcè ſciebant, demonſtrat Angeli Politiani Prologus, in *Plauti Menœchmos, & Budæus in opere de*

ſtudio literarum rectè inſtituendo, ſub initium. Et Benignus Santes in opere de recta pronunciatione : voce Paracletus cap. 44. Quare jactabatur tanquam effatum eorum Fratrum, *cavendum eſt à Græca linguâ, ei qui nolit eſſe Hæreticus* : Neque illud hyperbolicè ab Eraſmo dictum de Poëſi. Hæc accipe ex Hieronimo Squarciafico, qui auctor Petrarchæ ferè coævus, ejuſdem vitam ſcripſit. Hoc autem de Petrarcha narrat, quod ex ipſiuſmet ore accepit. " Fuit, inquit, in vitâ præfixâ tom. 1. Operum Petrarchæ „ Fuit, illâ tempeſtate no- „ men Poëticum ità inviſum, ut qui ea ſtu- „ dia ſequeretur, Magum, Sortilegum, „ & Hæreticum eſſe dicerent. Erat tunc „ hæreticæ pravitatis Inquiſitor quidam „ Marcus Picenus de Solipodio oriundus „ Frater rudis, & omnium bonarum li- „ terarum omninò expers, qui temerario „ auſu in non nullos injicere manus ten- „ tavit, & niſi proviſum fuiſſet, maxima „ oriri videbantur ſcandala, ſed cognitâ „ illuſtrium hominum ſcientiâ, & Fra- „ trum avaritiâ, quæ à falſo zelo veræ Re- „ ligionis proveniebat, Solipodius tan- „ quam bonarum diſciplinarum ignarus „ exploſus eſt, non tamen ſine labore „ ſe purgavit Petrarcha. " Illud etiam gravius, quòd à cenſuris ad carceres,

vincula, aliaſque mulctas, ac pœnas procedi conſuevit; qua de re Eraſmus in Apologiâ adversùs Monachos Hiſpanos tom. 9. pag. 1057. „ Res agitur per Relatores deputatos, ac Judices Monachos, nec ſincerè, nec legitimâ juris formâ, pronunciant in carcere tres Priores Monachi, duobus teſtibus, & apparatur rogus..... Interdum Monachi vanum ſpargunt rumorem, mox veluti ſuſpectum pertrahunt in carcerem, ibi diſputant ſuo more, notantur articuli, & parantur faſciculi ad combuſtionem." Sanè Silveſter qui Inquiſitor etiam fuit, cenſebat eſſe Hæreſes tot optimas opiniones; quarum imbuti docti viri, ſi ab hoc Inquiſitore deprehenſi fuiſſent, Hæreticorum pœnas ab eo fuiſſent perpeſſi.

Ex hoc de quo agimus Silveſtri Prieratis Dialogo, aliiſque deinde libellis farinæ ejuſdem, quos conſcripſit; illud minimum malum extitit, *quòd irriſus fuerit ab omnibus, & Romæ impoſitum illi fuerit ſilentium*, ut in utrâque Apologiâ ad Albertum Pium aſſerit Eraſmus, veluti rem ætate illâ omnibus notam: Illud gravius extitit rei Catholicæ damnum, quòd Lutherus rabie, ac deſperatione actus obedientiæ jugum excuſſit, & in ſchiſ-

ma, apertaſque Hæreſes prolapſus eſt, cùm enim Cardinalis Cajetanus illum ad Palinodiam cogeret, nec ſatis illi eſſet ſilentium utrique parti imponere, ut idemmet Lutherus orabat, & Raynaldus in Annalibus refert: nihil autem Palinodiæ, ſeu retractationis, alteriuſve pœnæ à Tetzelio expeteretur; (increpatio enim à Miltizio Internuncio Pontificio facta, non niſi poſt vulgatum ſchiſma fuit) prætereà eò Romæ res adducta eſſet, ut idemmet Silveſter in Judicem Luthero datus eſſet, in eum tandem Lutherus furorem erupit, quem ejus libri demonſtrant: nec fruſtrà erupit; nam arrogantia adverſariorum, amorem plurimorum, ac commiſerationem Luthero conciliavit.

Rem narrabo verbis Coclæi, qui Lutheri acerbiſſimus hoſtis fuit. Hæc autem narrat in libro de actis, & ſcriptis Lutheri. „ Dum quereretur injuſtè ſe premi ab „ Adverſariis, brevi maximum ſibi conci- „ liavit favorem, non modò apud ſimpli- „ cem populum, verùm etiam apud pleroſque graves, & eruditos viros, qui „ in verbis ejus genuinâ ſimplicitate cre- „ dentes, putabant Monachum nihil aliud „ quærere, quàm veritatis Patrocinium „ contra Queſtores Indulgentiarum, qui „ magis pecuniarum, quàm animarum

„ zelatores viderentur, ſicut criminabatur eos Lutherus.

Hos inter viros graves, & eruditos fuit Eraſmus, qui nunquam Lutheri errores probavit, ſed zelum in abuſus, in quo tamen ipſo moderationem exoptabat. Nam ad Lutherum ſcribens ſub ea turbarum initia Epiſt. 427. „ Mihi videtur plus pro-
„ fici civili modeſtiâ, quàm impetu.....
„ magis expedit clamare in eos, qui Pon-
„ tificum authoritate abutuntur, quàm
„ in ipſos Pontifices. Idem de Regibus
„ faciendum : Scholæ non tam aſpernan-
„ dæ ſunt, quàm ad ſtudia magis ſobria
„ revocandæ.

Pergit Coclæus. „ Hinc Lutheri mi-
„ ſerta Poëtarum, Rhetorumque cohors,
„ & in adverſarios ejus odio accenſa, im-
„ pigrè pro eo, & linguâ & calamo de-
„ certabat, cauſamque ejus Laicis com-
„ mendabilem reddebat, ac variis cavil-
„ lis, & invectivis Prælatos, Eccleſiæque
„ Theologos perſtringebat : incuſans eos
„ avaritiæ, ſuperbiæ, invidiæ, barbariei
„ & ignorantiæ, qui innocentem Luthe-
„ rum non ob aliud perſequerentur, quàm
„ ob doctrinam; quod videretur, & eſſet
„ doctior eis, & liberior ad dicendum
„ veritatem, contra impoſturas, & præſ-
„ tigias hypocritarum, cùmque valerent

„ non ſolùm ingenio, & acrimoniâ, ve-
„ rùm etiam elegantiâ ſermonis; ſive lo-
„ quendum, ſive ſcribendum eſſet: facilè
„ traxerunt animos Laicorum in favorem,
„ commiſerationemque Lutheri, tanquam
„ is propter veritatem, & juſtitiam vexa-
„ retur ab Eccleſiaſticis, invidis, ava-
„ ris, indoctis, qui in otio, luxuque vi-
„ ventes ſuperſtitionum adinventionibus
„ à ſimplici plebe pecuniam emungerent.
„ Tezelio itaque, qui anteà quoque per
„ Indulgentiarum frequentes prædicatio-
„ nes pecuniarum collector fuerat; per
„ hujuſmodi querimonias, criminationeſ-
„ que tum Lutheri, tum Poëtarum, &
„ Rhetorum, in dies magis, ac magis de-
„ creſcebat autoritas apud populum, mi-
„ nuebatur plebis ad Indulgentias devo-
„ tio, inviſi reddebantur Quæſtores, &
„ Commiſſarii, rareſiebant manus lar-
„ gientium: Luthero autem augebatur
„ autoritas, favor, fides, exiſtimatio,
„ fama, quòd tum liber, acerque vide-
„ retur veritatis aſſertor, contra fraudes
„ Quæſtorum, & fumos Bullarum, quas
„ non gratis darent, ſed pecuniis vende-
„ rent Indulgentiarum Commiſſarii. Hæc
„ Coclæus, cui ſimilia Ulembergius, uti
„ videre eſt in Raynaldi Annalibus Ec-
„ cleſiaſticis ad annum 1518. n. 99.

Eraſmus autem ad Georgium Ducem Saxoniæ, & egregium Catholicum Epiſt. 635. „ Monachi quidem, ac Theologi „ parum ſobriis, ſtultis, indoctis, ac ſe- „ ditioſis clamoribus malum hoc exagi- „ târunt, & ex malo peſſimum, ex mi- „ nimo maximum reddiderunt. Nam ini- „ tio nihil periclitabatur præter quæſtum „ Indulgentiarum." (Quem tandem eliminavit Papa Pius V. eliminatis Quæſtoribus) & in reſponſione ad Albertum Pium Carporum Principem tom 9. Operum p. 1141. „ Dominicani quidam hæc „ de Indulgentiis nimis adulanter & im- „ prudenter, ac propè dixerim blaſphe- „ mè jactantes apud populum, excitâ- „ runt Lutherum, ut proponeret aliquot „ Propoſitiones diſputandas, quibus ſic „ reſpondit Silveſter Prieras, ut exar- „ ſerit incendium. " Exarſit autem hâc ratione: Septimo menſe poſt eas Theſes, de quibus ſæpe dictum eſt, ea ſcripſit, quæ narrabo verbis Ulembergii cap. 2. apud Raynald. in Annalibus ad ann. 1518. n. 95. „ Lutherus ſcripſit Analyſim The- „ ſium ſuarum, vel Exegeſim ſi dicere ma- „ vis, valdè prolixam: Staupitium Gene- „ ralem Ordinis S. Auguſtini Vicarium in „ Germania. .... rogat ut hanc Analy- „ ſim ad Leonem X. Pontificem perferri

„ curet, cui libellum hunc in eum finem „ dedicare voluit, ut omnem à ſe Hæreſeos, & inobedientiæ ſuſpicionem re„ moveret: In Præfatione „ Beatiſſime Pa„ ter, inquit, proſtratum me pedibus „ tuæ Beatitudinis offero cum omnibus, „ quæ ſum, & habeo : vivifica, occide, „ voca, revoca, approba, reproba, ut „ placuerit ; vocem tuam, vocem Chri„ ſti in te præſidentis agnoſcam ; ſi mor„ tem merui, mori non recuſabo." Plerique putant Lutherum iſta non ſincero animo ſcripſiſſe, quia paulò poſt plura ſcripſit furore plena. Leviſſima ſanè ratio. imò ſi animo hæretico tùm fuiſſet, fortaſſè humilitatis ac pietatis laudem in ſuâ Epiſtolâ quæſiviſſet, non autem Catholicæ Fidei publicâ Confeſſione, vocem Chriſti in Pontifice præſidentis, & loquentis agnoſceret.

At verò cùm Silveſter non contentus Dialogo quem memoravi, Epitomen etiam quandam in Lutherum deindè ſcripſiſſet, multis conviciis, ineptiis, erratis ſcatentem, irâ, ac furore æſtuavit Lutherus, & duo quædam ſcripta in Silveſtrum confecit, multa in eo corripiens, ſed illud præcipuè, quod à *Pontifice robur & autoritatem accipere dixiſſet*, quemadmodùm ſuprà retuli, *Scripturas ſacras*, dictum

ſanè indignum Inquiſitore, & Magiſtro Sac. Palatii, qui ſe *Romanæ veritatis Profeſſorem & Miniſtrum* nuncupat in cap. 1. fuſioris operis, quod contrà Lutherum ſcripſit ſub hoc titulo. „ Errata & Ar-
„ gumenta Martini Lutheri recitata, de-
„ tecta, repulſa & ignominioſiſſimè trita.

Hæc itaque æſtu furoris ſcripſit Lutherus, quæ in Annalibus Eccleſ. Raynaldi recitantur ad ann. 1518. n. 93. „ Si
„ Romæ ſic ſentitur, & docetur, (nimirum ut Silveſter ſcripſerat, inquit cum Coclæo Raynaldus) ſcientibus Pontifi-
„ ce, & Cardinalibus, quod non ſpero;
„ liberè pronuntio his ſcriptis, Antichri-
„ ſtum illum verè ſedere in Templo Dei,
„ & regnare in Babylone illâ purpuratâ
„ Româ; & Curiam Romanam eſſe Si-
„ nagogam Satanæ..... ſi ſic Roma cre-
„ dit, beata Græcia, beata Bohemia,
„ beati omnes, qui ſeſe ab illâ ſeparave-
„ rint, & ego quoque, ſi Pontifex, &
„ Cardinales *hoc os ſatanæ Silveſtrum* non
„ compeſcuerint, & ad Palinodiam ade-
„ gerint, his Theſibus confiteor, me diſ-
„ ſentire Romanæ Eccleſiæ, & negare
„ eam cum Papâ & Cardinalibus, tanquam
„ abominationem ſtantem in loco ſancto.
„ Nunc vale infelix, perdita, & blaſphe-
„ ma Roma." Et in aliâ poſteriori Epiſtolâ.

ſtolâ. „ Mihi videtur, ſi ſic pergit furor
„ Romaniſtarum, nullum reliquum eſſe
„ remedium; quàm ut Imperator, Reges,
„ Principes, vi, & armis accincti aggre-
„ diantur has peſtes orbis terrarum, rem-
„ que non jam verbis, ſed ferro decer-
„ nant. Si fures furcâ, ſi latrones gladio;
„ ſi Hæreticos igne plectimus, cur non
„ magis hos Magiſtos perditionis, hos
„ Cardinales, hos Papas & totam iſtam
„ Romanæ Sodomæ colluviem, quæ
„ Eccleſiam Dei ſine fine corrumpit, &
„ manus noſtras in ſanguine iſtorum la-
„ vamus, tanquam à communi, & om-
„ nium periculoſiſſimo incendio, nos no-
„ ſtroſque liberaturi " Hæc ait Lutheri furor; quæ ſanè abſque animi horrore, à Catholico viro legi nequeunt; oſtendunt tamen, quàm opportunè ab Apoſtolo dictum ſit. *Patres nolite ad iracundiam provocare filios veſtros.* Provocârunt autem ad iracundiam, qui ad errores profectò palmares Tetzelii, & Silveſtri obmuteſcebant, in Lutheri Theſes ſolius fremebant: in quibus, ſi quid ego judicando valeo, multò minora errata deprehenduntur, pro eâ ætate ante decretum Tridentini de Indulgentiis, de quibus tam variæ Catholicorum opiniones circumferuntur adhuc. Quid autem ab eâ curiâ expectes, in quâ

Dominicani contra Auguſtinianos dominabantur.

„ Intereà Romæ, ſubdit Coclæus, & „ ex eo Raynaldus, ab Adverſariis pro„ curabatur *citatio*, quâ per Fiſcalem Pa„ pæ vocabatur in jus Lutherus, deſigna„ tis ad eam cauſam Judicibus Hyerony„ mo de Genutiis, Epiſcopo Aſculano Au„ ditore Cameræ; & Silveſtro Prierate „ Theologo, Magiſtro S. Palatii." Vides, Lector, quàm potens, tunc quoquè Romæ eſſet Ordo Dominicanorum, magno tamen ſuî & Eccleſiæ malo: Niſi enim rerum potens fuiſſet hic Ordo in curiâ Romanâ, nullo pacto fieri potuiſſet, ut idem *ille Silveſter*, qui adeò acerbè Lutherum laceraverat, & tanquam pecularis hoſtis ab hoſte diſſidebat; qui tot errores eâ ipsâ in causâ, atque ineptias aſſeruerat, qui præter alia innumera, etiam ſacram Scripturam à Romano Pontifice robur, & autoritatem accipere Romanæ Veritatis Miniſter evulgaverat, idem ille in Lutheri Judicem deligeretur. Habent quo ſe ſolentur ab hoc exemplo Franciſcani, Auguſtiniani, Carmelitæ, Jeſuitæ, aliique Regulares, qui ſub Dominicano jugo eſſe conqueruntur.

CAPUT VI.

Acta Cajetani in Lutherum.

PErgunt Coclæus & Raynaldus. „ Lu-
„ therus verò conqueſtus de inſi-
„ diis , quòd , nuſquam tutò conſiſte-
„ ret, & de Judicibus ſibi ſuſpectis....
„ per Ducem Saxoniæ Fridericum ſo-
„ licitavit, ut cauſa ad partes commit-
„ teretur ; commiſſa igitur fuit Tho-
„ mæ de Vio Cajetano , Cardinali ſan-
„ cti Sixti qui eo tempore erat in Ger-
„ maniâ Sedis Apoſtolicæ de latere Lega-
„ tus. Quamvis verò & hic Judex Luthe-
„ ro vehementer diſpliceret, quòd Tho-
„ miſta eſſet, & Ordinis Prædicatorum,
„ ne tamen omninò contumax & rebel-
„ lis videretur, comparuit coram illo Au-
„ guſtæ, menſe Octobri 1518. anno ni-
„ mirùm poſt vulgatas Theſes.

Videre mihi videor hærere Lectorem, ac ſtupere de Cajetani electione in Judicem Commiſſarium , nimirùm ea erat Cauſa in quâ Lutherus, cui tunc temporis Auguſtiniani Germani adhærebant, litem habebat cum *Tetzelio* , ac *Silveſtro*, ac reliquis Dominicanis: Quid magis ab

omni jure naturali, canonico, civili alienum, quàm hujuſmodi Cauſæ dijudicandæ, iterùm præfici Dominicanum? huccine rerum ventum erat, ut Ordo Prædicatorum ſupremum hunc potentiæne dicam, an tyrannidis apicem contrà Auguſtinianos attigiſſet. Fauſta omnia, ac felicia precor clariſſimo S. Dominici Ordini, ità tamen, ut unius Ordinis autoritas, & gratia, Eccleſiam propugnet, non evertat. Sed ex Ulembergio, & Raynaldo ibidem alia audiamus.

„ Adiit Lutherus Cardinalem, qui per-
„ benignè venientem excepit (verbis ſci-
„ licet, an etiam factis videbimus) &
„ tria quædam illi propoſuit nomine
„ Pontificis: primum erat, ut ab erro-
„ ribus rediret in viam, eaque revocaret,
„ quæ contrà receptam Eccleſiæ Do-
„ ctrinam in Theſibus, & in Sermone
„ de Indulgentiis aſſeruiſſet; alterum, ut
„ deinceps ab iis docendis abſtineret,
„ eamque rem, datâ fide promitteret;
„ tertium, ut nec impoſterùm alia divul-
„ garet à probatis in Eccleſiâ dogmati-
„ bus aliena: Reſpondit Lutherus, ſe
„ nullos in ſuis ſcriptis errores agnoſce-
„ re, ſi qui ſint tamen, rogare ſe ut ii
„ demonſtrentur. Cardinalis duos illi ob-
„ jicit errores è Theſibus exceptos, ni-

„ mirùm, quòd virtutem Indulgentiarum è Theſauro meritorum Chriſti dimanare neget; deinde quòd in uſu Sacramentorum novam quandam Fidem exigat, eâque ſolâ dicat hominem juſtificari. Prius illud Clementis VI. Decreto de Indulgentiis, alterum multis Sacrarum Literarum teſtimoniis adverſari. Lutherus utramque aſſertiones tueri volens, principio Clementis decretum conciliare cum ſuâ opinione nitebatur, quod fruſtrà fieri Cardinalis aſſerebat; undè diſceptatio quædam inter illos exorta eſt, verbis ultrò citroque commutatis, ut inter diſceptantes fieri ſolet. Lutherus deliberandi ſpatium petiit: In diem ſequentem Staupitium Vicarium Generalem Auguſtinianorum ſecum adduxit, alioſque nonnullos, tùm Notarium & Teſtes; & magnis quibuſdam viris præſentibus, inter quos, & Conſiliarii Imperatoris quatuor erant, ſolemniter proteſtatus eſt, colere ſe reverenter, & ſequi Eccleſiam Romanam in omnibus dictis ſuis, & factis præteritis, & præſentibus, & futuris.

Fuſiùs hæc proſequitur Coclæus omninò legendus, cujus verba Raynaldus refert. n. 104. „ Cùm adeſſent, in-

„ quit, quatuor viri ex ordine Procerùm,
„ & Conſiliariorum Cæſaris, ut omnem
„ Hæreſeos ſuſpicionem è mentibus illo-
„ lorum tolleret, coram Legato perſona-
„ liter proteſtationem ſuam in hæc verba
„ ſcriptam, ex Schedâ, quam in manibus
„ tenebat, legit, ac recitavit. Ego Frater
„ Martinus Luther Auguſtinianus, pro-
„ teſtor me colere, & ſequi ſanctam Ro-
„ manam Eccleſiam in omnibus meis di-
„ ctis, & factis; præſentibus, præteritis,
„ & futuris; quòd ſi quid contrà, vel
„ aliter dictum fuit, vel fuerit; pro non
„ dicto haberi, & habere volo.

Quiſquis ignarus eſſet futurorum, putaret profectò pacem Eccleſiæ redditam fuiſſe humillimâ hâc Lutheri proteſtatione, imò veriùs Palinodiâ, abundèque ſatisfactum Legato, eo ipſo tempore, quo Dominicani duo Tetzelius ac Silveſter, qui pejora vulgaverant prioribus Lutheri Theſibus, ad canendam Palinodiam, ne verbo quidem adigerentur. Nimirùm hoc in loco cadit illud Poëtæ.

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni,
Pugna ſuum finem, cùm jacet hoſtis, habet;
Sed lupus, & turpes inſtant morientibus Urſi,
Et quæcumque minor nobilitate fera eſt.

Sanè ipſemet Cajetanus ea ſcripſit, quorum aliqua ex ſuis commentariis expunxit S. Pius V. Imò Prateolus, cui ego non aſſentior, ejus nomen recenſuit in Catalogo Hæreticorum.

Jam verò hic ipſe Cajetanus ad Cenſuram Pariſienſem de propriis erroribus, non ita ſeſe humanum, docilem, demiſſumque præbuit, quemadmodum hâc in re Lutherus. Cajetanum laudo, eximiæ probitatis, atque innocentiæ hominem, acutiſſimi ingenii, eximium Philoſophum, atque egregium Theologum : ſed tamen Fratrem Dominicanum ; quippe qui inter Inquiſitores ſui Ordinis ſeverius ingenium hauſit, reoſque ſubjicere potiùs ac conculcare didicit, abjurationibus, carceribus, vinculis, cenſuris, quàm eos in ſpiritu lenitatis excipere, eorumque famam quàm leviſſimè lædere, illius miſericordiam imitatus, qui *cum magnâ reverentiâ nos diſponit*. Non ſatis itaque viſum Legato eſt, quòd Lutherus minore ſui nominis infamiâ generalem Palinodiam caneret, Fideique ſuæ Profeſſionem coram Notario, ac teſtibus ſolemniter ederet, omnimodam obedientiam in futurum ſpondens : omninò voluit ut nominatim errores Theſium de Indulgentiis revocaret ; cùm tamen difficillimum probatu ſit,

eos pro eâ ætate ante Tridentinum errores hæreticales fuiſſe : præcipuè cùm ſi quid duriùs ipſi exciderat, coram Legato emolliviſſet, atque explanaſſet. Legantur Theſes Lutheri apud Amort. in Tractatu de Indulgentiis : & præcipua errata ex iis Theſibus excerpta per Cardinalem Pallavicinum : In quibus duo graviora ſunt, quòd doceret ſolam pœnam Canonicam remitti per Indulgentias, non autem in foro Dei : Id nonnulli veteres Theologi à SS. Thomâ & Bonaventurâ relati docuêre, ut alibi dixi ; imò ſi intelligatur eas non remittere pœnas in foro Dei debitas *infallibiliter*, quod ſatis ſuperque Luthero erat, neque ampliùs ſub ea initia eum voluiſſe putaverim ; graviſſimos Theologos etiam poſt Tridentinum conſentientes habet. Aliud gravius erat de Theſauro meritorum Chriſti, & Sanctorum ; quod etiam ipſe interpretatus coram Legato eſt, ut non diſſentiret cum extravaganti Clementis VI. Et ſanè Theſaurum negabat, non niſi relatè ad eos indiſcretos Quæſtorum abuſus, quos boni quoque deteſtabantur : negabat propterea relatè ad remiſſionem pœnarum in foro Dei omninò infallibilem, ubi primum æs *in ciſtâ tinniret*, non autem ſi ea diceretur dependens à miſericordi Dei voluntate, ſe-

cundùm diverſas animorum diſpoſitiones.
Verùm præſtat audire verba Coclæi, qui cæteroquin Legati partes tuetur acerrimè contra Lutherum.,,Legatus verò vir
,, doctiſſimus (ſed tamen Dominicanus)
,, probè ſciens non ſolùm illum in ſuis reſo-
,, lutionibus, verùm etiam in proximo col-
,, loquio multa protuliſſe de Indulgen-
,, tiis, & poteſtate Papæ, aliter quàm
,, ſentit Romana Eccleſia, (cui paſſim plura dogmata Thomiſtæ illius ævi affingebant, ut ex Tetzelio, & Silveſtro animadvertitur),, inſtitit rurſus,
,, ut illa tria præſtaret, quæ ex mandato
,, Papæ pridiè audiverat (at illa quantum
,, ſatis abundè præſtiterat Lutherus?) ille
,, verò, Lutherus ſcilicet, proteſtabatur
,, ſe non eſſe ſibi conſcium aliquid dixiſſe,
,, quod ſit contra ſacram Scripturam, con-
,, tra Eccleſiaſticos Patres, contra Decre-
,, tales Pontificum, aut contra rectam
,, rationem. Attamen quia homo ſit, qui
,, errare poſſit, velit ſe ſubmittere Judi-
,, dicio, & determinationi legitimæ S.
,, Eccleſiæ, & omnibus meliùs ſentienti-
,, bus, nominatim verò Doctoribus inſig-
,, nium Univerſitatum Imperialium."
Subdit Raynaldus in Annalibus n. 105.
,, Perſtante in ſententiâ priori Legato,
,, Lutherus flagitavit, ut ſcripto ſibi reſ-

„ pondere liceret, obtinuitque rogante
„ id ſummis precibus Staupitio. " Nimirum eo loco res erat, ut tam æqua petitio ſummis eſſet precibus obtinenda.

Comparare jam liceat utrumque agendi modum, & quo uſus Cajetanus eſt in Lutherum, & quo deinde PAULUS III. uſus eſt; quemadmodum ex libro Brevium Pontificiorum narrat Raynaldus ad annum 1535. n. 18. Cùm Auguſtinus Maynardus Ord. S. Auguſtini, in Aſtenſi Civitate nonnullas propoſitiones veneno Lutherano infectas promulgaſſet, eaſque molliori & piâ interpretatione leniret; clementer in gratiam admiſit, & infamiæ maculam, quam contraxèrat, abſterſit.

Rursùs Elziarius Miodanus Auguſtinianus Provincialis, qui propugnaverat hominem *non habere liberum arbitrium antecedenter* : *tùm peccatorem ſolâ fide juſtificari*, vocatuſque in jus coram Senatu Aquenſi, ad Pontificem provocaverat. „ Licèt,
„ inquit Raynaldus, de impietate dicto-
„ rum conſtaret, & juſtè ſeveritatem ju-
„ diciariam commeruiſſet, quia ad ſen-
„ ſum Catholicum adduxit, à Pontifice
„ benignè abſolutus eſt. " Vides quàm diſtaret PAULUS III. à Dominicano.

In tertio colloquio ſcriptum ſuum obtulit Lutherus, in eoſdem demiſſionis,

excuſationis, interpretationis ſenſus, quos priùs. „ Cùm Legatus ſcriptum legiſſet, inquit, Ulembergius exſcriptus à Raynaldo „ commotus non nihil Cardina-
„ lis, verborum congeriem eſſe reſpon-
„ dit : Lutherum Extravagantem Clem.
„ VI. non minùs quàm Scripturæ dicta
„ in alium ſenſum detorſiſſe, nec verum
„ Clementis VI., ac Spiritûs ſancti men-
„ tem aſſecutum.

Hæc in Lutherum Cajetanus, nempe quis? Is ſcilicet, quem Facultas Pariſienſis accuſavit „ Quòd extra propoſi-
„ tum plura explicaverit contra ſenſum
„ Eccleſiæ, & Patrum, & plura in
„ Evangeliis, & Epiſtolis Canonicis in
„ dubium vocaverit, an ſint authenticæ,
„ & ſolidæ veritatis; adhæc errores va-
„ rii (pergit Cenſura Pariſienſis) & lap-
„ ſus, & dogmata falſa, & impia, &
„ quædam hæretica, atque à fide aliena
„ in his continentur. Cæterùm multa
„ ſunt nova, & abſurda in iis contenta;
„ quæ lectoris animum in varios errores
„ inducere poſſunt: quare ii Commenta-
„ rii, aut ab erroribus repurgandi ſunt,
„ aut obelo configendi, aut ſupprimendi."
Huc uſque Cenſura Pariſienſis, quam P. Ricchardus Simon in criticâ Bibliothecæ D. Du Pin tom. 1. l. 8. Verbo Cajetanus,

dicit ſe exſcripſiſſe ex Regiſtris Facultatis Pariſienſis, quam recito, non propugno.

„ Legatus poſt hæc, pergit Ulembergius, graviter & paternè admonuit,
„ unàque rogavit, ne ſui fiduciâ nimiùm elatus, plus ſaperet, quàm par
„ ſit; nec novis ſpargendis dogmatibus
„ perturbaret Eccleſiam, ſeque ipſum,
„ & alios in ſempiternum exitium conjiceret: flecteretque potiùs rigidam
„ cervicem, & caput in Eccleſiæ ſinu
„ reclinaret. Concluſit tandem, niſi aliam
„ mentem induerit, & miſſis circuitionibus rectam ingrederetur viam, proviſum iri.

O Cajetani vocem maximè dolendam Eccleſiæ, ex quâ ſpes omnis ineundæ cum Luthero concordiæ abſcindi cœpit! Longè ſecùs geſſit ſeſe PAULUS III. Pontifex, quod docent proximè recitata exempla. Utinam Arius in Nicænâ, Neſtorius in Epheſinâ, aliique Hæretici in aliis Synodis, eas Confeſſiones, demiſſiones, obedientiæ etiam in futurum præſtandæ formulas, recitaſſent: non dubito quin earum Synodarum Patres Anathematis Sententiam in Arium, Neſtorium, alioſque ejus generis, non fuiſſent pronunciaturi. Trinam Chriſti negationem Petrus Apo-

ſtolus non abjurando, ſed diligendo compenſavit: Atqui Lutherus, etiam abjurationis formulam ſcripto dederat, & coram Notario, ac teſtibus recitaverat. Non ingratum accidere Cajetano debuerat, quòd Lutherus, Doctor nempè Wittenbergenſis, magnæque apud Germanos exiſtimationis, pudori ſuo, famæque parceret, molliori, quæ fieri poſſet, Pallinodiâ. Si ambigebatur, ſincerone animo id faceret, ſuſpendenda Sententia erat, & prudenter inſpiciendum, num promiſſis reſponderet eventus. At intereà temporis quid erat, cur contereretur *quaſſatus calamus*, ut propheticis verbis utar, & *lignum fumigans* extingueretur? Fatebor ingenuè: Tot ego legi in Eccleſiaſticis annalibus, ac monumentis argumenta ſeveritatis, atque acerbitatis in Mendicantibus Inquiſitoribus, ac Judicibus; ut Cajetano, Hochſtrato, Tetzelio, Silveſtro, aliiſque innumeris congruere cenſeam, quæ leguntur Ezechielis 34. „ Væ Paſtori-
„ bus Iſraël! Gregem meum non paſce-
„ batis, quod infirmum fuit, non con-
„ ſolidaſtis, quod perierat non quæſi-
„ viſtis, ſed cum auſteritate imperaba-
„ tis eis, & cum potentiâ. Diſperiæ ſunt
„ oves meæ, eò quòd non eſſet Paſtor....
„ Pro eo quod lateribus, & humeris im-

„ pingebatis, & cornibus veſtris venti-
„ labatis omnia infirma pecora, &c.

Quid ſibi Cajetanus vellet, cùm in Lutherum comminatus eſt, *proviſum iri*, explicuit paulò poſt; cùm, teſte Raynaldo num. 107. Cenſuras Eccleſiaſticas, niſi errores revocaret, intentavit. Quinimò rumor pervaſit, teſte Coclæo de Luthero, ac Straupitio Vicario Generali in carcerem conjiciendis ex Legati mandato. Verùm quis ad hæc non obſtupeſcat. An non revocavit, quantùm ſatis erat, cùm coram Notario, ac Teſtibus, ac Proceribus ex ſcripto legit. *Si quid contrà Romanam Eccleſiam dictum fuit, pro non dicto haberi, & habere volo, me ſubmitto determinationi Eccleſiæ.* Præcipuè cùm materia Indulgentiarum pluribus adhuc quæſtionibus Theologorum involuta, multò autem obſcurior eſſet eâ ætate: cùm & Lutherus Decretalem Clementis VI. quæ ferè unicè illi opponebatur, interpretaretur, non rejiceret? quid igitur opus fuit, ut Cenſuræ intentarentur, cùm eodem tempore, eâdemque de cauſâ nihil tale contrà errores longè turpiores Tetzelii, & Silveſtri, cogitaretur? Haud inutile fuerit animadvertiſſe; quo Seculo, nempè XIII. Regulares Mendicantes Inquiſitionis munere ſibi demandato, in partem Ju-

riſdictionis Epiſcopalis, vel etiam Pontificiæ vocati ſunt; eodem Seculo novum morem inductum in Eccleſiam fuiſſe; & ad magnum numerum excreſcere cœpiſſe Excommunicationes majores *ipſo facto*, ſive *ipſo jure*: Si pervolvantur, inquit, Van Eſpen de cenſur. Ecc. c. 1. §. iv. „ Canones novem ut minùs ſeculorum, „ quibus Eccleſia ſtetit, non creditur re„ periendus Canon, qui contineat hanc „ ſimilemque formulam. Qui *hoc fecerit*, „ *aut* non *fecerit*, ſit ipſo *facto*, ſeu *ipſo* „ *Jure excommunicatus*, aut *ipſo jure*, *ſeu* „ *facto excommunicationem incurrat*, *vel ſub* „ *pœnâ excommunicationis ipſo facto incur*„ *rendæ*, quæ ſunt ordinariæ formulæ; „ quibus Excommunicatio latæ ſententiæ „ exprimitur. Quin imò ſi integrum Gra„ tiani Decretum ſeculo duodecimo com„ poſitum pervolvatur, neſcio, num vel „ unum excommunicationis latæ ſenten„ tiæ exemplum reperietur. Hæc Van „ Eſpen." Quamquam Suarez in tractatu de Cenſuris in Gratiani Decreto, putaverat ſe inveniſſe unum, aut alterum.

„ In Decretalibus Gregorii IX. operâ „ S. Raymundi collectis 36. excommu„ nicationis caſus latæ ſententiæ, ut nu„ merat Navarrus in Manuali cap. 27.

„ ad univerſam Eccleſiam extenſi fuêre
„ Seculo XIII. Deindè per Sextum De-
„ cretalium eodem Navarro Teſte 32.
„ alii caſus latæ ſententiæ inducti, & per
„ Clementinas alii 50. per Bullam Cœ-
„ næ, per Extravagantes tum in corpore
„ juris clauſas, tum etiam extrà, per Con-
„ ſtitutiones Synodales & Provinciales,
„ per viſitationes Secularium, ac Regu-
„ larium penè innumeræ." Hæc ex Van
Eſpen. Nimirùm cùm XIII. Seculo inſti-
tuti per diverſas Provincias Fratres Apo-
ſtolici Inquiſitores, cum facultate Cenſu-
ras ferendi, tam ſæpè, ac frequenter gla-
dio hoc ſpirituali, uti vel abuti cœpêre,
tam frequentia Cenſurarum Decreta à
ſanctâ Sede extorquere, ut *Excommuni-
cationes ipſo jure, ipſo facto incurrendæ*, in
clauſulas quaſdam conſuetas ac ſtylum
curiæ tranſierint, ac veluti Pſalmi in di-
vinis officiis ſacro Triſagio abſolvuntur,
aut communes Eccleſiæ Orationes Chriſti
invocatione, ità Eccleſiaſtica Decreta ex-
communicationis pœnâ *ipſo facto*, ſivè *ipſo
jure*.

Legendus de hâc re S. Petrus Damia-
ni Card. l. 1. Epiſt. 12. ad Alexand. 2.
„ Cunctis ferè Decretalibus paginis Ana-
„ thema ſubjungitur..... Quàm ſit hu-
„ manæ ſalutis immane periculum, & in-
„ finitè

„ finitè patens vorago labentium, ac per-
„ nicies animarum Clementiæ veſtræ Pie-
„ tas non ignorat: dicitur enim: *Quiſquis*
„ *hæc vel illa non fecerit*, ſivè certè *quiſ-*
„ *quis hoc quod ſuperiùs ſtatutum eſt*, *irritum*
„ *duxerit*, vel *in aliquo violaverit*, *Anathema*
„ *ſit*: Ubi notandum quàm lubrica, quàm
„ præceps, ſubitò ruendi illic procuretur
„ occaſio: Delinquit itaque quiſquis, ille
„ eſt, in Apoſtolicæ Conſtitutionis edi-
„ ctum, & aliquando levi quâdam, ac
„ perexiguâ offenſione tranſgreditur:
„ continuò velut Hæreticus, & tamquam
„ cunctis criminibus teneatur obnoxius,
„ Anathematis ſententiâ condemnatur:
„ & cùm dictante juſtitiâ, aliâ ſit ultione
„ plectendus, qui plus delinquit, aliâ qui
„ minùs excedit; hîc graviter, leviter-
„ que peccantibus, æqua cunctis, & in-
„ differens pœna, ſolius ſcilicet Anathe-
„ matis irrogatur: non Tribunalium
„ more, vel Forenſis examinis, aut li-
„ bertas læditur, aut poſſeſſio confiſca-
„ tur, nec pecuniariæ mulctæ reus addi-
„ citur, ſed Deo potiùs, omnium ſcilicet
„ Creatore privatur. Hanc itaque homo
„ de homine pœnam ſumet, quam de ſui
„ tranſgreſſione mandati, Deus ipſe quo-
„ que omnipotens, non præſumit. *Qui*
„ *amat*, inquit, *Patrem*, *aut Matrem pluſ-*

„ *quam me*, non continuò addit ſit *ana-*
„ *thematizatus*, vel *maledictus*, ſed tantùm
„ ait. *Non eſt me dignus* : Et in lege ;
„ *Oculus* pro *oculo*, *dens* pro *dente exigitur*,
„ nec continuò qui reus eſt, de Synagogâ
„ projicitur, vel maledictione damnatur.
„ Porrò nec B. Papa Gregorius, vel cæ-
„ teri Patres, qui diverſis temporibus in
„ Apoſtolicæ Sedis regimine floruerunt,
„ hunc morem obſervaſſe in ſuis Decretis
„ reperiuntur, & vix eorum aliquando
„ Anathema ſubnectitur : niſi cum Ca-
„ tholicæ Fidei clauſulâ terminatur.
„ Quam ob rem ſi Sanctæ prudentiæ ve-
„ ſtræ placet, hunc morem de cætero à
„ Decretalibus paginis amoveri præci-
„ piat, & vel damni pecuniæ, vel alte-
„ rius cujuſlibet ultionis calculum in ea-
„ rum tranſgreſſione præfigat : ne quod
„ aliis eſt in tuitionis munimenta provi-
„ ſum, aliis ad perniciem proveniat ani-
„ marum. " Hæc S. Petrus Damiani ſeculo XI. cæterùm ſeculo XIII. Inquiſitione Regularibus commendatâ ; non imminuta eſt, ſed aucta hujuſcemodi conſuetudo : Illam enim formulam, *ſit Anathema*, non eſſe latæ, ſed ferendæ ſentent. docent Gloſſ. in cap. tibi de foro competent. Cajet. 22. q. 154. art. 5. Navarr. cap. 27. n. 12. Sanchez lib. 7. de

matrim. diſput. 12. n. 2. ubi plurimos refert, Layman l. 2. tract. 5. pag. 1. cap. 2. Palaüs de Cenſ. p. 1. punct. 2. aliique, præcipuè ubi materia Hæreſeos rigidiorem interpretationem non ſuadeat. At à ſeculo XIII. Excommunicationum ipſo jure non eſt numerus, ut proindè moderationem imperaverit Tridentinum, numero enim ipſo vileſcunt, ac nihili fiunt.

Verùm hæc obiter occaſione Cenſurarum, quas in Lutherum Cajetanus intentavit. A quo tempore fugit Auguſtâ Lutherus, appellavit ad futurum Concilium, & paulatim in Hæreſes manifeſtas eſt lapſus, cujus ſanguis ex nimis ſevero, ac rigido Legato, ut puto, exquiſitus eſt, ni fortè bono animo erravit: erraſſe enim certiſſimum erit unicuique rem perpendenti: Hinc Lutherus in appellatione ſuâ ſecundâ ait ad Cajetanum: „ Nimium factionis ſuæ Fratribus affectum, „ faciem iniquitatis aſſumpſiſſe, minaſque diras, & crudeliſſimas intentaſſe; „ atque ovem Chriſti humiliter petentem doceri veritatem, & reduci ab errore, contempſiſſe." Hæc ex Cochlæo, ac Raynaldo n. 109. Quæ, aliaque ſuprà recenſita mihi perſpicuum faciunt, non illum adhuc hæretico animo fuiſſe. Cùm

enim Hæreticus fuit, *veritatem dictorum ſuorum*, *non errores* deprædicabat. Quare ut huic narrationi finem imponam, nullam tantam utilitatem Eccleſiæ Dei, Scriptis attulit Cajetanus, quantùm damni paravit in Lutheri judicio ſuâ Dominicanâ ſeveritate: meritoque Torellus conqueritur in *Seculis Auguſtianis*, ubi de Hæreſi Lutheranâ, tantam labem Auguſtiano Ordini, tantam Eccleſiæ perniciem facili negotio caveri potuiſſet: ſi nimirùm in Controverſiâ Dominicanos inter, atque Auguſtinianos delectus non fuiſſet Dominicanus Judex, ſed alter quivis ſtudio partium non addictus, qui non Lutherum modò, ſed Tetzelium etiam cum Silveſtro frænaſſet, & in omnium errores æquâ lance animadvertiſſet, eamque in judicando manſuetudinem cum juſtitiâ compoſuiſſet, quâ Lutherus rabie, ac furore actus in deſperationem non cogeretur.

Scio hæc obſcuriora eſſe noſtrâ hâc ætate, in quâ præoccupato, atque averſo animo in Lutherum, ejuſque impias Hæreſes ſumus. Verùm ſecernenda diligenter tempora ſunt; non idem Lutherus initio diſſidii fuit, qui deinde in progreſſu: Contentio cum Tetzelio Inquiſitore, deinde cum Silveſtro, & Cajetano non

invenit Hæreſiarcham, ſed fecit; fecit autem, cùm odio accenſus in Adminiſtros Pontificis Dominicanos, eorumque agendi rationem parùm ſanè æquam, & juri conſentaneam, gradum fecit ad Pontifices ipſos laceſſandos, eorum Fidem, ac Doctrinam improbandam. Verùm quæ minùs comperta ſunt hoc noſtro ævo, ſatis erant perſpicua ævo PAULI III. quem proinde mirum non eſt, de Tribunali Romanæ Inquiſitionis, Clero Seculari tradendo cogitaviſſe, editâque Conſtitutione *Licet ab Initio* ſanxiſſe; Quandoquidem Lutheranas turbas, atque diſſidia Dominicanis Inquiſitoribus, ac Judicibus tribuenda eſſe perſpiciebat.

Temperare mihi non poſſum, quin hoc loco nonnulla de Eraſmo annectam, quem ità conviciis perſecuti ſunt Inquiſitores ejus temporis, ut niſi optimus fuiſſet reverà Catholicus, ad Lutheraniſmum protruſus fuiſſet. Quæ tum Inquiſitores, tum alii plurimi Mendicantes de Eraſmi Fide, ac moribus, planè horrida vulgaverint; ex Alberto Piò coacervavit malè in hac re credulus Raynaldus. Quâ ex cauſâ Fratrum Dominicanorum plerique (non tamen eorum optimi Faber, & Guillelmus Parvi, aliique Eraſmi fautores inte-

F 3

gerrimi) & cum iis alii Regulares tantam in Eraſmum rabiem ac furorem conceperint, in promptu cauſa eſt. Inter Scholaſticos, qui ferè Regulares erant, mira erat inſcitia, abſque ullo ferè Latinæ, Græcæ, Hebraicæ linguæ ſtudio, abſque Scripturis, Conciliis, Patribus, ſacrâ hiſtoriâ, ac Criticâ : meras tricas pro Philoſophiâ, ac Theologiâ venditabant. Ventri, luxui, atque otio plures dediti, ſolis Eleemoſynis corrogandis intenti, & extrinſecis cæremoniis veſtium, cantûs ac ſimilibus contenti, ità ſe ipſos, ac Chriſti fideles negligebant : ut celebre ſcriptum Cardinalium, ac Prælatorum PAULO III. oblatum. *Ordines Religioſos conventuales abolendos*, inquit, *omnes putamus*. Jam verò Eraſmus vir ſine fuco, & fallaciâ, corruptiſſimos ſeculi ſui mores taxare cœpit ; excurrens per omnes gradus : ipſos etiam admonens Pontifices, ac Reges, & quidquid his ſubſtat, quod pluribus libellis fecit, eoque præcipuè, quod *Moriæ*, ſeu *ſtultitiæ encomium* vocavit ; & cujus ad triginta millia voluminum paucis annis excuſa ſunt. Hinc mali & indocti Regulares in Eraſmum efferati, omnia carpere in ejus libris, omnia in hæreticum ſenſum trahere, tántâque ejus nomen infamiâ aſpergere, ut hæc ad poſteros propagata ſit,

ipſiſque Bellarmino, Poſſevino, Pallavicino impoſuerit.

Sed audiatur PAULUS III. in Brevi ad Eraſmum, quam Epiſtolam recitat Raynaldus ad ann. 1535. n. 18. „Memores „ probitatis, & innocentiæ tuæ, & in „ vario diſciplinarum genere eminentiæ, „ nec minus meritorum ergà Apoſtolicam „ Sedem, cùm adverſus deſertores Fidei „ ſummâ vi pugnaſti, Præpoſituram, „ tibi gratè contulimus, ut aliquod jam „ præmium tuæ virtutis agnoſcas." Hæc „ PAULUS III. biennio ante obitum „ Eraſmi.

In libro Diatribes Hyperaſpiſtæ lib. 2. quem contrà Servum arbitrium Martini Lutheri ſcripſit anno 1526., ità cum Luthero loquitur. „ A veſtro fœdere me „ alienum eſſe ſemper profeſſus ſum, „ cum Eccleſiâ Catholicâ pacem habeo, „ & cenſuram Scriptorum meorum detuli, ſi quid ineſt erroris humani. „ Nam malitiam, aut impietatem procul ab illis abeſſe ſcio.... Hæc cùm „ tot epiſtolis, & privatim ſcriptis, & „ per Typographos evulgatis ante tot annos declarârim, tibi adhuc navigo inter Scyllam, & Charibdim, & neutri „ parti adhæreo?" Ità tom. 10. operum edit Lugd. Batav. Pag. 1268. (Sciendum

autem has ipſas nænias de ambiguâ Eraſmi fide iteratas fuiſſe ab Hochſtrato Inquiſitore, aliiſque Mendicantibus.) Et pag. 1268. „ Cùm nihil Luthere, omiſeris, quod in hominem deploratiſſimum dici poſſit, cùm tibi ſim Lucianus Atheus, cum Epicuri de grege porcus, cùm ſim tam impius, ut nec impiiſſimis Sophiſtis ſim tolerabilis, cum hoſtis totius Chriſtianiſmi; tamen, &c... " Hæc de Eraſmo Lutherus jam Hæreſiarcha, quæ eadem in Eraſmum effutire pudere debuiſſet Catholicos plures Regulares.

Idem Eraſmus in alio ſcripto contrà Lutherum, cui titulus eſt. *Eraſmus adversùs calumnioſiſſimam Epiſtolam Martini Lutheri.* Hoc habet: „ Martinus conatur Orbi perſuadere Eraſmum non ſolùm nihil credere de rebus divinis, verùm etiam illud jam olim dolis, inſidiis, totiſque viribus agere; ut univerſam Religionem Chriſtianam labefactatam tandem præcipitem, ac Paganiſmum in mundum revocem..... Utinam in vitâ meâ tàm obtemperaſſem divinis præceptis, quàm de his, quæ ſunt Fidei, liberam, & quietam conſcientiam habeo apud Deum. Quod ad mores attinet, quotidiè cum ſuſpiriis

„ ac dolore cordis interpello Domini mi-
„ ſericordiam, quem tamen nolim mihi
„ unquam fieri propitium, ſi diabolici fa-
„ cinoris unquam, vel leviſſima cogita-
„ tio pupugit animum meum; non di-
„ cam, ut univerſam Chriſti gloriam
„ obſcurarem : ſed ut ipſe à Fide Ca-
„ tholicâ reſilirem. Utinam hujus cor-
„ puſculi jacturâ queam hoc Eccleſiæ diſ-
„ ſidium conſopire. Interdum admiſſorum
„ quidem veniam nocturnis, diurniſque
„ precibus à Domino poſtulo, Fidem au-
„ tem oro, non ut det, ſed ut datam
„ confirmet, augeatque. Hæc coram Deo
„ loquor ex animo, ſumat de me pœnas
„ extemplo, ſi quid mentior." Et tamen Pallavicinus Jeſuita, & Cardinalis nænias Dominicanorum exſcribens, Eraſmum malum Catholicum obiiſſe ſcribit, ſed de ejus piiſſimo obitu ann. 1537. legatur Epiſtola Amerbachii, qui morti præſens fuit, præfixa autem eſt Editioni operum Eraſmi Lugd. Batav.

Cæterùm Inquiſitores, alioſque Mendicantes conatos fuiſſe eum protrudere in Lutheraniſmum veriſſimum eſt, & ſæpiſſimè queritur Eraſmus : quem ex magno Eccleſiæ defenſore, magnum Eccleſiæ hoſtem ſuâ maledicentiâ, aut ſi ità appellare libeat, malo ſuo zelo non ſecun-

dùm ſcientiam, feciſſent. Verùm obſtitit vera fides, ac pietas Eraſmi, altis fixa radicibus, obſtitêre Pontificum, Cardinalium, Epiſcoporum, Regum, ac Principum, denique probatiſſimorum quorumdam, ac doctiſſimorum quorumcumque Laicorum, Clericorum, Monachorum, ex ipſo Dominicano Ordine, qui benevolentiâ, amicitiâ Laudes ejus celebrabant; ut PAULUS III. eum inter Cardinales cooptaturus jam eſſet : niſi hunc Pontificis amorem Eraſmi obitus fruſtratus fuiſſet : De his Natalis Alexander ſeculo XVI. in Eraſmo.

Tom. 9. Operum pag. 373. „ Erant, „ inquit, Eraſmus, permulta quæ me „ poterant in Factionem Lutheranam „ propellere; hinc à Lutheranis invi„ tabar, illectabar, pertrahebar. Illinc „ ex parte Catholicorum protrudebar „ odiis." Scilicet, ut queritur idem Eraſmus Epiſtolâ 257. „ Lovanii ſceleratiſ„ ſimus nidus eſt, quorumdam Domi„ nicanorum : nunc tandem exiit liber, „ quo nihil fingi poteſt inſultius, indo„ ctius, mendacius, impudentius, in„ ſanius, " De quo etiam dolet Epiſt. 762. „ Quid, inquit, dicent Docti „ cùm talia legant? ego hîc Pontificum, „ & Regum hortatu belligeror adverſus

„ Lutheranam Factionem haud abſque
„ capitis mei periculo, & Lovanii mihi
„ ſuſcitantur tales Tragœdiæ !

Epiſt. 909. ad Beddam Minoritam acerrimum hoſtem ſuum. „ Nonne vides,
„ inquit, quantum ſit in orbe diſſidium,
„ & tu quaſi parum ſit, tam atrocem
„ ordinis Tragœdiam.... ſi victus inju-
„ riis deficerem ad hoſtes Eccleſiæ, un-
„ dè repeteret Deus hanc animulam,
„ niſi abs te ? Quod hactenùs perſtiti,
„ non eſt mearum virium, ſed divini
„ muneris, & ejuſdem præſidio perſi-
„ ſtam uſque in finem, uti ſpero. Quis
„ autem tam atrocibus contumeliis,
„ tamque perpetuis non delaſſaretur ?
„ id ſi fieret, non vides quem tumul-
„ tum excitare queam ! Non eſt tam
„ inops amicorum Eraſmus, quàm tu
„ credis.

Silveſter Magiſter S. Palatii miſerat ad Eraſmum Epiſtolam non nihil increpatoriam, & comminatoriam ann. 1523. Nimirùm, qui magnam partem habuerat Lutherum in rabiem, ac deſperationem adigendo ; experiebatur an idem facere in Eraſmo poſſet, miſsâ ad ipſum Epiſtolâ : præterquam quòd permiſerat Romæ vulgari contrà Eraſmum Stunicæ libellum maledicentiſſimum, quamvis

vetantibus duobus Pontificibus, ac gemino Cardinalium edicto.

Inter alia hæc habet Eraſmus Epiſt.664. ad Silveſtrum. „ Hi, inquit, moliun-
„ tur in me, & velim nolim, faciunt me
„ Lutheranum; cùm ego primus om-
„ nium dehortatus ſum à tali facinore.
„ Dicam arrogantiùs, ſed verè: ſi vel
„ uno Epiſtolio declarare voluiſſem me
„ vel tantulùm favere Luthero, vidiſſes
„ erectiſſimos animos totius Germaniæ,
„ quæ certè latiſſimè patet. Nec defuiſ-
„ ſent Principum præſidia. Ego tot con-
„ viciis quorumdam provocatus, tot alio-
„ rum blanditiis ſollicitatus, numquam
„ dimoveri potui à veneratione Romanæ
„ Eccleſiæ: Alexander (Nuncius Pon-
„ tificius) nihil non facit adverſus Lu-
„ therum. At ſi pernoſſes rem omnem,
„ ſolus Eraſmus plus fregit vires, & ani-
„ mos Lutheranorum, & illius factionis;
„ quàm omnia Alexandri molimina. Id
„ an vobis iſthinc perſuaſum ſit, neſcio:
„ Certè Lutherani hic intelligunt, qui
„ mihi uni imputant, quod illis non ſuc-
„ cedit: jamque dentatis libellis in me
„ debacchantur, tanquam in adverſarium,
„ & verè ſum; tametſi malim mala ſepa-
„ rari à bonis, quàm utraque ſimul per-
„ di. Vide igitur, quam gratiam mihi

„ rependunt , qui tam improbis ſyco-
„ phantiis impetunt caput meum , imò
„ quàm malè conſulunt ſuo negotio. Lu-
„ theri factio nondum tàm extincta eſt ;
„ quàm vos iſthinc creditis, atque utinam
„ eſſet ! Hæc enim perdit omnia ſtudia
„ noſtra. Sunt(hoc anno 1523.) innumera
„ millia hominum , qui odio Sedis Ro-
„ manæ magnâ ex parte favent Luthero,
„ nec aliud expetunt , quàm ducem ali-
„ quem. Me nec Angelus, nec homo fa-
„ cient ſeditioſum , tamen iſti ſtrenuè la-
„ borant, ut faciant. Habemus Cæſarem
„ propitium , habeo , & hic Principes,
„ ac Reges mihi faventiſſimos , Cardina-
„ les item , & Epiſcopos aliquot. Quæſo,
„ ut per Stunicas, & ſimiles ſycophan-
„ tas liceat mihi Orthodoxum eſſe.

Epiſt. 963.„ Rabiunt Lutetiæ quidam
„ fortiter , duce Beddâ (in quo uno ait
„ Epiſt. 941 ſunt tria Monachorum mil-
„ lia) ſola conſcientia me revocat à Lu-
„ theranis , alioqui declararem illis Furiis,
„ quales ſint. " Non itaque ſtetit per fu-
rioſos quoſdam Regulares, eorumque con-
juratos amicos , quin Eraſmus exaſpera-
retur in Eccleſiam ; quòd ſanè infinito
malo fuiſſet. Plus enim unum Eraſmum
metuebant Lutherani, quàm centum Ca-
jetanos, Tetzelios, Hochſtratos, Silve-

ſtros, alioſque, *quos*, ut ait Eraſmus Epiſt. 384. *bodie mundus ſimul*, *&* *mendicos alit*, *&* *tolerat tyrannos*. Satis eſt teſtem adhibere Lutherum ipſum, qui ſcribens ad Eraſmum anno 1524. Epiſt. quæ inter Eraſmicas eſt 726. „ Illi, in-
„ quit, Lutheranæ cauſæ fautores mor-
„ ſiones tuas iniquiùs ferunt, quod hu-
„ mana infirmitas cogitat, & malè me-
„ tuunt autoritatem, & nomen Eraſmi,
„ ut longè aliud ſit ab Eraſmo ſemel eſſe
„ morſum, quàm ab omnibus Papiſtis
„ ſemel eſſe commolitum." Agnoverunt hæc Romani etiam Pontifices, inter quos Adrianus VI. in Epiſt. ad Eraſmum 1522. quæ inter Eraſmicas eſt 639. hortatur illum ad ſcribendum contra Lutherum.
„ Ineſt enim, inquit, tibi magna in-
„ genii vis, varia eruditio, ſcribendi
„ promptitudo, quanta noſtrâ memo-
„ riâ pauciſſimis aliis, ne dicamus nul-
„ lis: Præterea verò apud eas nationes,
„ undè hoc malum ortum eſt, ſumma au-
„ toritas, & gratia." Hinc cùm Eraſmus primùm in Lutherum ſcripſiſſet, Carolus V. in Epiſt. ad Eraſmum gratulatus eſt Lutheranorum inſaniam declinare: Pergit Carolus V. „ Non tam
„ nos tibi debemus, quàm univerſa Reſ-
„ publica Chriſtiana, cùm per te unum

„ id aſſequuta ſit, quod per Cæſares, „ Pontifices, Principes, Academias, at- „ que per tot Viros eruditiſſimos hacte- „ nùs obtinere non valuit." Extat hæc Epiſt. inter Eraſmicas 815. Hinc Lutherus, qui nihil reſponderat ad Hieronymum Emſerum, Cochlæum, Roſæum, Roffenſem, Chlitovæum, Longlium, & ex Hæreticis Luthero adverſantibus Zvinglium, Capitonem, Eccolampadium: omnibus dimiſſis, Eraſmo reſpondit, ejuſque Diatribæ de libero arbitrio, ut teſtatur idem Eraſmus lib. 1. Hyperaſpiſtes contra Lutherum. „ Hæc, „ inquit, cùm ità ſint, demiror, quo „ conſilio ad omnes obmuteſcens, noſtræ „ Diatribæ reſpondendum putaris." Plura ſcripſiſſet contra Lutherum Eraſmus, ſed deterrebat illum livor Inquiſitorum, qui omnia carpebant.

Hâc de cauſâ ſe ſæpiùs à ſcribendo excuſavit, præcipuè apud Adrianum VI. Patet Epiſt. 641. & 649. „ Romæ, „ inquit traducor furioſis, ac pluſquam „ famoſis libellis.... Nihil non ca- „ lumniantur: Sub omni lapide, quod „ aiunt, cubat Scorpius: Hoc ſuſpe- „ ctum, hoc ſcandaloſum, hoc irreve- „ renter dictum: Et Epiſt. 752. Hoc ſecu- „ lo nec benè ſcribere tutum eſt, nec malè

„ & mira eſt Rabinorum conſpiratio.

Verùm non modò à ſcribendo in Lutherum deterruerunt, ſed in Lutheraniſmum, quantùm in ipſis fuit, impulêre tantum, tamque celebrem hominem : idque invidiâ præcipuè ejus nominis quod ſibi Eraſmus comparaverat, quemadmodum optimè agnovit Adrianus VI. Epiſt. inter Eraſmicas 639., quâ eum conſolatur triſtem, ac dolentem, de plurium in ſe odiis, ac ſuſurrationibus : „ Viros, inquit, „ Adrianus VI., quantò ſcimus excellen- „ tiore doctrinâ præditos, tantò videmus „ eſſe invidiæ morbus magis obnoxios." Inter hos invidos erat Hochſtratus Inquiſitor Dominicanus, quem Eraſmus *Furiam* appellabat, & ad eum ſcripſit longam Epiſtolam expoſtulatoriam : Legenda Eraſmi Epiſtola 556. data Lovanio, ubi etiam Hochſtratus morabatur, data autem eſt ann. 1521. „ Ego Do- „ minicanorum conviciis lapidor quoti- „ diè in publicis etiam Concionibus, quæ „ ſi paterer pro negotio Fidei, non ceſ- „ ſerim vel ipſi Protomartyri Stephano. „ Semel ille lapidatus finem invenit ma- „ lis, manibus, & ſaxis ille dumtaxat „ impetitus eſt, ego nec uno loco, nec „ ſemel lapidor mendaciis & conviciis „ lethali veneno tinctis." Nec præter-

„ mittendum

mittendum quod habet alia Epiſt. data Baſileâ 1522.; & eſt Epiſt. 629. „ Ego, „ & hìc, & iſthìc partim dictis, partim „ Epiſtolis, multos abalienavi à factione „ Lutheranâ; nec ulla res magis dejecit „ Lutheranorum animos; quàm quod pa- „ làm editis libris declaravi me adhæ- „ rere Pontifici Romano, & Lutheri ne- „ gocium improbare. Quòd ſi faviſſem „ Luthero, non defuiſſent Præſidia Prin- „ cipum.... Sunt hîc Baſileæ pluſquam „ centum hominum millia, qui oderunt „ Sedem Romanam, & Lutherum ma- „ gnâ ex parte probant... quod ad me „ attinet, ſcio, quid agant Monachi, cu- „ perent me protrudere vel nolentem in fa- „ ctionem Lutheranam: id quod nunquam „ efficient. " Cùm itaque hæc aliaque permulta ex vulgatis Eraſmi Epiſtolis de Hochſtrato Inquiſitore, ac hujuſce-modi hominibus, notiſſima Romæ eſſent, & PAULO III. præcipuè, uti patet ex Literis in formâ Brevis ad Eraſmum datis ann. 1535., quas ſuprà recitavi: mirum non eſt, quòd Romanam Inquiſitionem conſtituturus is Pontifex, Secularem Clerum Regularibus prætulerit.

Nolim tamen quòd calumniam mihi quiſpiam ſtruat de maledicentia in Regulares. Non ego illum improbum modò,

atque impium, ſed ſtultiſſimum etiam judico; qui minùs bene de Sanctitate Religioſorum Ordinum ſentiat, eorumque maximâ in Eccleſiam utilitate. At oportet, ut unuſquiſque in eâ vocatione, in quâ vocatus eſt maneat. Diviſiones enim gratiarum ſunt. Epiſcopos unà cum Seculari Clero Presbyterorum poſuit Spiritus S. regere Eccleſiam Dei: Excitavit autem identidem ſanctiſſimos Religioſorum Ordines, ut in Catholicâ Eccleſiâ, in quâ Deo ſervire, regnare eſt; *ad Prælatorum miniſterium ſegregati in Evangelium Dei famularentur, non imperarent.* Cùm id præſtitêre Benedictini, Ciſtercienſes, Dominicani, Franciſcani, Carmelitæ, Auguſtiniani, Theatini, Regulares denique omnes; nihil hujuſmodi Regularibus ſanctius, nihil utilius Dei Eccleſiæ fuit, nihil etiam ſanctius, ac utilius erit quandocunque id præſtabunt. Quòd ſi Eccleſiaſticarum dignitatum honore, ſi poteſtatis Eccleſiaſticæ uſu, ad negociorum curas, ac turbas devolvantur, & caducarum rerum ſollicitudine, ac cupiditate implicentur: ſanè oportebit non omnia proſperè, ac feliciter evenire, ac per Inquiſitorum, Epiſcoporum, alioſque honorificos gradus regulari ſimplicitate vitiatâ, ac Dominationis appetitu inva-

leſcente; reſpicere incipient in vanitates, & inſanias falſas, humiles, ac pauperes Clauſtrorum habitatores. Hâc ſanè de causâ omnem omninò Eccleſiaſticam dignitatem, ac Dominationem veluti peſtem ſuorum Ordinum, abominati ſunt coram Cardinali Oſtienſi ſanctiſſimi Patriarchæ Dominicus, ac Franciſcus, ut teſtantur Sacra eorum Ordinum Chronica. Quâ de re aliàs.

Interim nihil mirandum eſſe aio de ſanctiſſimo, ac ſapientiſſimo D. Dominici Ordine: Quantùm enim ex cognitis, atque exploratis licet homini inferre incognita, certiſſimum mihi eſt futurum, ut nihilo meliora agerent, nec minùs gravem, ac ſuperbam Tyrannidem exercerent Franciſcani, Auguſtiniani, Benedictini, Carmelitæ, Servitæ, Jeſuitæ, Theatini, & alii quicunque piiſſimi, ac doctiſſimi Regulares Cœtus: ſi præter, aut potiùs contrà optima ipſorum inſtituta, libenter poſthabita, aut ſaltem in ſecundum locum rejectâ curâ Concionum, Catecheſium, Confeſſionum, Confraternitatum, Noſocomiorum, Carcerum, Scholarum: in Inquiſitorum ferè pluſquam Epiſcopale nomen, ejuſque dominationem, ac commoda totis animis inhiarent.

CAPUT VII.

Utilem, ac neceſſariam PAULI III. Conſtitutionem oſtendunt Eccleſiaſtica monumenta de Hæreſi Janſeniana, quæ utrique Poteſtati Pontificiæ, ac Regiæ adeò adverſatur.

NEque verò ſi Romana Inquiſitio Seculari Clero, non Dominicanis demandaretur, conſonum illud tantummodò eſſet primævæ inſtitutioni, id enim verò quam maximè conduceret ad Hæreſes extirpandas, ac Fidem Catholicam augendam, uberiùs, atque amplificandam. Quotuſquiſque neſciat progreſſiones Janſenianæ, ac Queſnellianæ Hæreſeos, quæ præter hæretica Dogmata de Chriſtiana Redemptione, ac libertate adeò Romanam Cathedram oppugnat, Curiam Romanam cum ſuis Cardinalibus, ac Prælatis lacerat, ac deridet, Regum autoritatem conculcat, &c. Accipe jam, quàm graviſſima hæc mala quorumdam Regularium vitio vertenda ſint, dum Romanam Inquiſitionem haud admodum feliciter moderantur.

Cùm tempore Innocentii X. Romæ de quinque Janſenii propoſitionibus configendis ageretur, non clanculum, ſed aperto marte pro Janſenio pugnârunt Commiſſarius S. Officii, ac Magiſter Sac. Palatii coram ipſo Romano Pontifice, qui Romanas ea de re Congregationes præſentiâ ſuâ honeſtabat: Vidiſſes præcipuos illos Dominicanos, qui nobiliſſimum ſibi locum vindicant in ſancto Romano Officio, tanto ſtudio, zelo, contentione pro Janſenio agere, ut non modò cum Legatis Janſeniſtarum de re bene gerendâ arcana conſilia miſcerent, iiſque in omnibus pro virili parte operam navarent diligentiſſimam, verùm etiam in Romanis Congregationibus coram Pontifice, Cardinalibus, Conſultoribus ſuum ut votum pro Janſenio de *genu*, * quòd vix credet Poſteritas, recitarent, ac paſſim lamentarentur, Auguſtinum ipſum Eccleſiæ Doctorem Iprenſis Janſenii nomine fore damnandum. Quid putas eos facturos in arcanâ Inquiſitionis Congregatione, ubi Dominicani dominantur, cùm in publicâ luce peculiaris Congregationis, in quâ ex omni præcipuorum Regularium Or-

(*) *Vid. Hiſt. des cinq Propoſit. lib.* 1. *pag.* 90. *& alibi.*

dine egregii aſſidebant, hæc facere, ac dicere non erubuerint; neque commoverentur aliorum clamoribus, qui cùm blaſphemam Janſenii defenſionem audirent, in eas voces identidem erumpebant. *A l'Heretique, à l'Heretique*, quâ de re Hiſtoria quinque Propoſitionum legenda, quam ex authenticis monumentis, earundemque qui aderant teſtimoniis collectam, nemo unus eruditorum dubitavit: Magiſtro S. Palatii, & S. Officii Commiſſario adhæsêre alii ex Conſultoribus Regularibus duo; neque enim hoc poſtremum eſt malorum, quæ Romæ ſentiuntur ex Dominicanâ S. Officii adminiſtratione, aliiſque muneribus, quæ Dominicano Ordini addicta ſunt; magnamque habent juvandi nocendique poteſtatem: nimirùm ex omnium ferè Regularium Ordinibus ſibi Clientes devinciunt, paratos in eorum verba jurare, ut ipſorum benevolentiâ honorificos quoſdam gradus conſcendant.

Huc enim verò reſpiciebat Queſnellus, qui in eo ſcripto, quod confecit, vulgavitque ad conquirendas Cenſorum approbationes pro hiſtoriâ de Auxiliis conſcriptâ à F. Serri, quodque recitat liber *Proceſſus Mechlinienſis contra Queſnellum*,

dictus, *Cauſa Queſnelliana*, in eo inquam ſcripto Regulares inflammabat Queſnellus, ut ſtrenuè ſe gererent pro Serrianâ hiſtoriâ; *futurum enim, ut Romæ defendantur à Religioſo Ordine prægrandi, atque potenti, nempe Dominicano.*

Utinam non ſæpè defenſionem hanc, Romæ, Janſeniana Doctrina ſibi habuiſſet! Alexander VII. in Brevi Apoſtolico dato primo Auguſti 1661. ad magnos Vicarios Pariſienſes, Cardinalis de Retz, ejus Civitatis Archiepiſcopi, quodque legitur in Appendice Hiſtoriæ quinque propoſitionum, mirum eſt, quàm acriter eos objurget, quòd docuiſſent damnandas quidem Janſenianas quinque propoſitiones; utrùm autem is fuerit Janſeniani libri ſenſus de hoc non curaſſe Innocentium X. vocat hanc Alexander „ non minùs mendacem, „ quàm temerariam narrationem.... falſum, patenſque mendacium, eoſdem „ Vicarios Pariſienſes appellat ubique „ malorum Zizaniorum in agro Dominicano Seminatores; Eccleſiæ Catholicæ „ perturbatores, & quod in vobis eſt, „ auctores, inquit, turpiſſimi Schiſmatis „ eſſe deprehendimini..... Protervia in „ vobis eſſe dignoſcitur, cavillationibus, „ ſubdolis, & circuitibus obviam eundi „ Eccleſiæ definitionibus. "

Audi jam rem planè incredibilem paucis poſt annis, nempè 1668. Contenſonius Dominicanus immiſcuit ſuæ Theologiæ defenſionem Innocentianæ Conſtitutionis contra quinque Propoſitiones peculiari diſſertatione : * quo in loco non paucis verbis, ſed columnis integris eundem errorem longè clarioribus, atque audacioribus verbis defendit : Nihil tamen hactenus in illum à Romanis Dominicanis animadverſum eſt : Quin imo apud Dominicanos non audit, niſi doctiſſimus, ac piiſſimus Contenſonius, inoffenſo pede decurrendus, veluti de Hilario ſcripſit Hieronymus ; eo Dominicani Ordinis fructu, ut innumeri ex eo cœtu in Gallia contra Conſtitutionem *Unigenitus* rebellaverint, magnumque Collegium Dominicanum Pariſienſe, ad quod adoleſcentes Ordinis ex univerſâ Galliâ confluunt ſtudii Theologici gratiâ, anno 1717. omnibus juris formulis ad futurum Concilium contra Clementem XI. appellaverit, vixque quatuordecim, aut quindecim conventus ejuſdem Ordinis in totâ Galliâ ab eâ Janſenianâ, ac Queſnellianâ peſte immunes fuerint. Idem Contenſonius lib. 5. diſſert. Præambulâ cap. 2. Corall. 2. docet, „ nec Pontifices, nec Concilia in

* *Eſt diſſert. V. l. 8.*

„ diſcernendis librorum damnatorum ſen-
„ ſibus Judicium habere infallibile. "
Nihil dicam de Joanne Baptiſtâ Goneto, quem ipſemet Natalis Alexander in ſuâ Hiſtoriâ, ubi de Pelagianis erroribus agit, vocat defenſorem perſpicuum quintæ Janſenianæ Propoſitionis. Quis itaque miretur, Romanis Dominicanis in hujuſmodi libros nequaquam pro poteſtate inſurgentibus, Janſenianos errores inter Gallos Dominicanos eo radices ſuas fixiſſe, ut Reverendiſſimus Ripoll ab omnibus ejus Regni Prioribus, Provincialibus, ac Capitulis extorquere non potuerit, ut Alexandrino formulario, ac Conſtitutioni *Unigenitus* univerſi ſubſcriberent. Legantur, *les Supplemens des nouvelles Eccleſiaſtiques*, quæ paſſim ſcatent monumentis Dominicani per Galliam Janſeniſmi.

In clavi Janſeniſtarum, quam refert *Cauſa Queſnelliana*, Commiſſarius S. Officii *vocatur M. Prevoſt* : Jam verò cùm anno 1697. damnata Romæ ab Inquiſitione fuiſſet quædam Apologia Hiſtorica, quæ opus Queſnelli fuerat : D. du Vaucel; ſeu Wallonus, qui Romæ verſabatur Agens, ut loquuntur, Janſeniſtarum notiſſimus, ſcripſit ad Queſnellum, ſe ex Commiſſario, ſive *M. Prevoſt*, ſciviſſe arcanas cauſas damnationis ; quod nemo

neſcit eſſe contra arctiſſimum S. Officii ſecretum. *On a ſçu de M. le Prevoſt, que ce qu'on a le plus trouvé à redire dans l'Apologie Hiſtorique, c'eſt ce qui eſt dit, &c.* Vides fœdus Commiſſarii S. Officii cum Janſeniſtis ?

Supplices inter Libellos, quos Jeſuitæ obtulerunt Congregationi S. Officii, dum Romæ ageretur de Controverſiâ Rituum Sinenſium ; oblatus eſt unus anno 1700. hoc titulo : *Informationes PP. Societatis*. Extat hic Libellus proculdubio in Tabulario S. Officii in Actis, ut aiunt, Poſitionis Sinenſis, & alia præterea Typis vulgata exemplaria in Bibliothecis pluribus : n. 2. hæc conqueruntur „ Scripta hæc pendente etiam nunc, & indecisâ hâc Causâ, Amſtelodami Typis „ edita ſunt & quidem inter illa ſcripta, „ quædam nobis legentibus occurrerunt, „ & ſatis prolixa, & momenti maximi, „ jam tum ab anno præterito Eminentiis Veſtris, ut quidem editum ibi legitur, oblata : quibus reſponſa noſtra „ ideò non potuimus opponere ; quia non „ priùs ad noſtram pervenêre notitiam, „ quam ab Hæreticis Hollandis Janſeniſtis, qui ante iſta cognoverunt, quàm „ de iis quidquam audiſſemus : publicæ „ luci data, atque in omnium oculis po-

„ ſita ſunt. " Quo in loco oro, atque obſecro Romanæ Curiæ prudentiſſimos Præſules, ac Cardinales, ut taciti ſecum ipſi meditentur pro eâ, quâ ſunt probitate, ac ſapientiâ, num naturalis æquitatis legibus conſonum fuerit, quatuor Sinarum Epiſcopos, Chriſti Fideles Sinenſes ferè ad trecenta millia cum pluribus Miſſionariis : tùm Jeſuitis, quorum erat uberior numerus; tùm aliorum etiam Ordinum, litem Romæ agitare contrà Dominicanos, idque in Tribunali Dominicanorum, nempè S. Officii; in quo univerſa aperta, reſerata, ac perſpicua Dominicanis ſunt: ſcripta omnia, Libelli, Epiſtolæ, conſilia, ac negociorum arcana, dubia, ſuſpicioneſque omnes, in quo Dominicani præcipuè cum Cardinalibus, Præſulibus, Conſultoribus loqui poſſunt de Rebus controverſis, rationes exponere, dubitationes, atque objecta excipere, ac ſolvere: Epiſcopi verò quatuor, trecenta Chriſtianorum Sinenſium millia pro ſuis ritibus in quæſtione meri facti pugnantia, unà cum tot Miſſionariis; ne ipſos quidem Libellos, Cardinalibus oblatos, ſivè, ut aiunt Scripturas, habere potuerint ad objecta diluenda : donec ea ab Hæreticis acceperint ? Num is agendi modus ad Reges, ac Principes, eorumque Admini-

ſtros delatus per exteras Provincias famâ vulgante diffuſus, Sinenſibus ipſis perſpectus, debitam Romanæ Curiæ exiſtimationem, reverentiam, obſequium, benevolentiam, amorem, conciliet? Hæc ſi meridianâ luce illuſtriora ſunt, ii videant, quorùm refert Romanæ Curiæ decus, honorem, famam ſervare, atque amplificare, num tanta malorum Lerna exſcindenda ſit, & Clero Seculari Romana Inquiſitio ſecundùm PAULI III. Conſtitutionem concedenda.

Verùm, quod hujus Capitis præcipuum argumentum eſt, illud velim animadvertatur: Janſeniſtas in Hollandiâ arcana ſcripta ex Inquiſitione Romanâ obtinuiſſe: non niſi eorum culpâ, quorum autoritate Inquiſitio adminiſtratur, icto cum Janſeniſtis fœdere.

Pergit Libellus Supplex, quem ſuprà retuli, atque iſta ſubjicit: „ Ab eodem „ malevolentiæ, & partium ſtudio pro- „ fectum exiſtimari poteſt, quod in Ga- „ ſulis Belgicis, Leodienſibus, Batavi- „ cis, divulgata ſunt ea, quæ Romæ hâc „ in causâ agebantur, etiam quæ gere- „ bantur in ſecretis, privatiſque Congre- „ gationibus: ità ut aliquoties deſigna- „ rentur, non modò quotquot adeſſent, „ ſed res etiam, quæ diſceptabantur, &

„ ſingulorum vota, ac Sententiæ nota-
„ rentur; atque ità, quod nobis Romæ
„ agentibus ignotum , atque incomper-
„ tum manebat, in Belgium atque Hollan-
„ diam immediatè transvolabat." Nempè ubi erat factio Janſeniana cum ſuo Duce Queſnello, hæc omnia transvolabant: Nimirùm Opera M. Du Vaucel, ſivè Walloni, M. Hennebel: qui erant negocii Janſeniani Geſtores, ac ſimilium, quod utique exequi non poterant, niſi benevolum ſibi haberent M. *le Prévoſt*, ſivè Commiſſarium S. Officii, alioſque ejuſdem Ordinis, quæ omnia, num conducant ad Romanæ Inquiſitionis honorem, atque autoritatem vindicandam, an verò imminuendam, judicent prudentiores.

Nôrunt Theologi, proſcriptis per Innocentium X. quinque Janſenii Propoſitionibus, Janſeniſtas omnes ſeſe ab iis alienos declaraſſe, earumdemque proſcriptioni ſubſcribere ſe libenter paratos; at illud pertinaces homines addidére: eas quidem Propoſitiones in ſenſu obvio falſas, atque hæreticas eſſe; cæterùm illas in Janſenio non reperiri: quare ſe eas damnare non poſſe in Janſenii ſenſu: Atqui eas in Janſeniani libri ſenſu damnatas, atque damnandas peculiari Bullâ edixit Ale-

xander VII. idemque poſteriores Pontifices confirmârunt, idque non obſequioſo tantùm ſilentio faciendum, ac jurandum: ſed ſincerè, atque ex animo; quemadmodum etiam cum aliis Pontificibus ſanxit Clemens XI. in Bullâ *Vineam Domini Sabaoth*. Atque hùc recidit ab Innocentii X. Temporibus tota lis Hæreſeos Janſenianæ; ad hos exterminandos errores formularium ſuum Alexander VII. vulgavit. Jam verò D. Charmot in Controverſiâ Sinenſi Procurator, pro D. Maigrot, cum quo ſimul in Sinis fuerat; & pro Patribus Dominicanis contrà Jeſuitas Romæ librum edidit, dum ea cauſa agebatur. Titulus erat: *Hiſtoria Cultûs Sinenſium*; cùm autem D. Maigrot Vicarius Apoſtolicus in Sinis, qui edictum contrà ritus Sinenſes ab Alexandro VII. permiſſos, & Jeſuitas vulgaverat, & hujus Controverſiæ Princeps erat: ad Romanum Pontificem ſcribens quereretur, ſe ab Jeſuitis Hæreticum Janſeniſtam appellatum jam, & deinceps appellandum, eodemque nomine apud Papam accuſandum fore: Ecce tibi quàm bellè reſpondet Adverſario ſuo pag. 166. D. Charmot libri Autor, nempè acriter reprobat docentes „ eum, qui famoſas quin-
„ que Propoſitiones in ſenſu obvio,

„ quem ipſamet verba propoſitionum
„ præ ſe ferunt damnaret, fore ſemper
„ Hæreticum Janſeniſtam, niſi etiam
„ credat, ac jurare paratus ſit, hunc ip-
„ ſum ſenſum Janſenii, ſeu quem Jan-
„ ſenius in libro ſuo, cui titulus, Au-
„ guſtinus tenuit, ac docuit: " Docentes inquam hanc Catholicam veritatem à Sede Apoſtolicâ definitam cum totius Eccleſiæ aſſenſu reprobat D. Charmot, imò appellare audet pacis inimicos, & Innocentii XII. Contemptores.
„ Quod quid aliud eſt, inquit, quàm
„ Apoſtolicum Breve ſanctiſſimi D. N.
„ eludere, præſcriptaſque ab eo ſtabi-
„ liendæ paci Regulas floccifacere. "
Ecce tibi ſynopſim dilucidam, ac perſpicuam totius hodiernæ Hæreſeos Janſenianæ; ſi unum hóc detur, quinque Propoſitiones in Janſenii libro non reperiri, neque hunc librum ea dicere, quæ docentur in iis quinque Propoſitionibus, Janſenii liber ſalvus, ac in tuto eſt: Verbis autem relatis non modò D. Charmot Procurator in Romanâ Urbe Cauſæ Sinenſis nomine D. Maigrot, non amovet à ſe, & ab eodem D. Maigrot, qui Janſeniſmi accuſabatur, hunc craſſum errorem: quin etiam eundem diſertè, ac palàm in publicâ Urbis luce,

imò Orbis ipſius , Libro typis edito profitetur ; atque etiam qui hæreticalem hujuſmodi errorem rejiciat , eum D. Charmot , contemptoribus Apoſtolici Brevis audaciſſimè recenſet ; quo autem tempore , quo Pontifice, hæc in Urbe , atque ab Orbe vulgabat D. Charmot ; nimirùm poſtquam Innocentius XII. Literis in formâ Brevis datis 24. Novembris 1696. declaraverat aliud ſuum Breve peſſimâ fide acceptum , ac declaratum à Janſeniſtis fuiſſe : ſe omninò confirmare Formularium Alexandri VII. & quinque famoſas Propoſitiones in *ſenſu Janſenii damnatas* , atque damnandas : Hoc inquam , tempore , hoc ipſo Pontifice D. Charmot ſcribit errorem contradictorium , ut cum Logicis loquar : neque Dominicani S. Officii aliquid contrà clamant , Catholicis errorem indicantibus non auſcultant , Liber non proſcribitur , ea ſaltem pagina corrigi non jubetur , Liber divenditur , diſtrahitur , evulgatur , Libri Autor Charmot de Fide non interrogatur ; imò perhonorificè excipitur ab Officialibus Romanæ Inquiſitionis , ejuſdemque hominis accuſationes contrà Sinenſium Epiſcopos , & Miſſionarios audiuntur. Hæc Docti ſciant , exteri peritiores legant ,

&

& probent, hunc agendi modum æquum putent, ac juſtum. Scio hæc non Romanis Pontificibus, ac Cardinalibus eſſe tribuenda, ſed Dominicanis in ſanctiſſimo Inquiſitionis Tribunali pro libidine dominantibus. Scio ac profiteor, neque aliâ de causâ rejectis ab hoc munere Regularibus, Seculari Clero concedendum pronuncio.

Quamquam nullum mihi aliud ſupereſſet argumentum judicandi de Janſeniſmo D. Maigrot Vicarii Apoſtolici Fochienſis, qui celeberrimum edictum edidit contra ritus Sinenſes: unum hoc ſatis mihi ſuperque eſſet, quòd D. Charmot, qui ex eodem Pariſienſi Seminario cum D. Maigrot fuerat; qui cum eodem Miſſionarius in Sinis, qui ab eodem ſuus contra Jeſuitas Procurator electus fuerat, quique proinde ejus ſenſus optimè noverat, Janſeniſmi accuſationem à D. Maigrot depellat: Quâ ratione? evulgando nimirum typis publicis ſatis eſſe ad Janſeniſmum evitandum proſcribere, ac damnare quinque Propoſitiones in ſenſu obvio: non præterea poſtulandum eſſe, ut *damnentur in ſenſu Janſenii*: Quod tamen repetitis Bullis Pontifices poſtulârunt. Cæterùm clariſſimus Epiſcopus D. Laffitteau in Hiſtoriâ Conſtitutionis *Unigenitus* teſta-

tur, eum hæretica conventicula cum aliis Janſeniſtis celebraſſe, „ in quibus Romæ „ eâ libertatis audaciâ maledicebant Con- „ ſtitutioni *Unigenitus*, quâ uſi fuiſſent „ Londini, aut Amſtelodami. " Romæ tunc temporis D. Laffitteau negocia agebat Regis Chriſtianiſſimi, quare his de rebus apprimè erat inſtructus: Ac quoniam Frater Norbertus Capucinus diſcolus extitit, qui hoc calumniandi vitio verteret: idem denuò confirmavit in ſuâ contrà Norberti Hiſtoriam Epiſtolâ Paſtorali. Verùm numquid aliquid paſſus unquam eſt D. Maigrot, cùm Romæ eſſet à Dominicanis Officialibus Inquiſitionis? nùm ſe purgare coactus eſt non dicam ſuſpicione, ſed evidentiâ Janſeniſmi, ſaltem Formularii Alexandrini ſubſcriptione? Nihil horum ſanè, quemadmodum neque ejus Procurator D. Charmot: Hoc iniquitatis pretium per Dominicanos S. Officii perſolutum eſt Janſeniſtis; ut quoniam hi pro Dominicanis pugnabant contra Jeſuitas in controverſia Sinenſi, viciſſim à Dominicanis S. Officii in Janſenianis Erroribus contra Eccleſiam protegendis juvarentur. D. Maigrot dum in Sinis eſſet auctor edicti contra ritus Sinenſes, D. Charmot ſuum Procuratorem in Romanâ Curiâ delegit, quem primas partes in Controverſiâ Si-

nenſi habuiſſe Romæ notiſſimum eſt; jam verò D. Walloni Agens Romæ Janſeniſtarum, Epiſtolâ 3. Auguſti 1697. ad Queſnellum. *Nous avons achevé ces jours les deux écrits pour M. Barlon*, (qui in clavi Janſenianâ eſt D. Charmot Procurator Controverſiæ Sinenſis.) Vides quàm bene Janſeniſtæ laborarent pro Controverſiâ Dominicanâ contra Jeſuitas? In Epiſtolâ P. Delbecque Dominicani; quam Romæ ſcripſit ad D. Brigode, qui erat Queſnello à ſecretis: quamque refert proceſſus cauſæ Queſnellianæ, hæc habet. *M. Charmot m'a dit qu'il en étoit au deſeſpoir, & que de ſemblables Pieces étoient très-capables de renverſer toutes les affaires de la Chine, de la Hollande & de Louvain même.* Vides conjunctum fuiſſe negocium Sinenſe cum Janſeniano? Verùm quàm multa hanc in rem eſſent afferenda, ex maximo omnium authentico hac in re libro, qui *Cauſa Queſnelliana* inſcribitur, & ex alio cui titulus. *Suite du veritable Eſprit des nouveaux Diſciples de S. Auguſtin.* Opus ex authenticis monumentis, atque ipſis Janſeniſtarum Epiſtolis, Regiâ autoritate comprehenſis concinnatum? Quàm eſt indecorum Romanæ Inquiſitioni Dominicanos ejus Tribunalis Officiales in causâ Sinenſi ac Janſenianâ junxiſſe ſe Janſeni-

ſtis, *percuſſiſſe fœdus cum morte*, & *cum inferno feciſſe pactum*? Rident inter ſe his de rebus Janſeniſtæ ipſi, & mutuò invicem gratulantur. D. Creits Janſeniſta Hollandus, ſocius Archiepiſcopi Sebaſtheni ob Janſeniſmum Vicariatu Apoſtolico depoſiti ſententiâ ſummi Pontificis, poſt iter Patavinum Româ 18. Decemb. 1700. Epiſtolam ſcripſit ad D. Brigode à Secretis Queſnelli, quæ legitur p. 125. tom. 4. operis. *La ſuite du veritable &c. Le P. Serri nous a vû à Padouë, & temoigna ſes eſtimes pour M. de Freſne, & toute la ſainte Famille. M. de Freſne* eſt in clavi Janſeniſticâ ipſe Queſnellus : *La ſainte Famille*, eſt Eccleſia Janſeniſtarum. Atqui Serrius ex præcipuis fuit ſcriptoribus contra ritus Sinenſes. Verùm quod pluris facio, quod D. Creits in eâdem Epiſtolâ ſcribit, ſe valdè gaviſum eſſe, quòd invenerit Romæ tot, *tamque ſtrenuos defenſores cauſæ Jeſu Chriſti.* Scimus quid hoc ſibi velit in homine Janſeniano; quid autem aliud expectes, cùm adminiſtri Inquiſitionis arctam cum Sectariis, neceſſitudinem inierint? id cùm recolo, nullo pacto miror de Pace Clementis IX., cùm optimus Pontifex à Janſenianis adeò fœdè illuſus eſt : nihil miror de Epiſtolâ Innocentii XI. ad Arnaldum, quem ...

ac ter venerabilem Doctorem appellat; illum ſcilicet, qui iniquitatis filius ab Alexandro VII. fuerat appellatus. Nihil mirabitur Hiſpana Inquiſitio, quòd anno 1692. Henricus Noris tertio delatus, à quinque deputatis per Romanam, hoc eſt Dominicanam Inquiſitionem Theologis abſolutus ſit, imò etiam novis dignitatibus auctus.

Agmen horum claudat narratio de Queſnello. Anno 1691. in lucem prodiit prima editio *Obſervationum Moralium Queſnelli*: Anno 1693. iterùm prodiit, ſed auctior, & in majorem molem: fuit, qui Librum denunciaret Inquiſitioni Romanæ. Reſponſum eſt, *non eſſe dandam Fidem delatoribus, audiendum eſſe Auctorem, eique delationes communicandas*, ità nempè actum eſt, utique Dominicano Commiſſario, aliiſque Dominicanis Auctoribus; per quos res Theologicæ in eo Tribunali diſcutiuntur. Ità actum eſt in favorem *Queſnelli*, quem publica jam fama pervicacem, atque Eccleſiæ inobedientem vulgaverat; qui, quòd noluiſſet ſubſcribere Formulario Alexandrino, in Belgium aufugerat. Nùm hujuſmodi benignitate uti ſolent Dominicani cum Catholicis Scriptoribus? Sciunt Franciſcani, ſciunt Jeſuitæ, aliique:

Hæc cùm certiſſima ſint, atque ab Epiſcopo Laffiteau in Hiſtoriâ Conſtitutionis *Unigenitus* lib. 1. fuſiùs exponantur, mirabimur Regulares ſtomachari hanc agendi rationem, atque in recentioribus turbis, aut Florentinis, aut Neapolitanis contra Inquiſitionem excitatis, eos nec faviſſe, nec favere, nec fauturos ſanctiſſimo cæteroquin Tribunali; de quo profectò ſic ſentiunt, ſic loquuntur, illud eſſe Arcem Dominicanæ Potentiæ, quo ad Regulares æmulos ſubigendos, calcandoſque abutuntur: interdum etiam ad errores fovendos, non extirpandos. ***Mundus totus non eſt beſtia***, ait barbarè quidem, ſed verè Raynaudus in Diatribis de immunitate Cyriacorum; ratione ducuntur rationales homines, cognitione, intelligentiâ, æquum inter atque iniquum ſciunt quid interſit, univerſo Orbi aliquandiù illuditur, at non ſemper: ſeſe ipſam detegit veritas, atque illuſtrat.

Reſtant graviora quæ dicantur. Archiepiſcopus Mechlinienſis anno 1702. iterùm denunciavit Romanæ Inquiſitioni Queſnelli Librum ad proſcriptionem, & damnationem; ſed fruſtrà cecidit labor omnis, ac conatus Archiepiſcopi. Quid enim, ut Dominicani Inquiſitio-

nis Romanæ contra Queſnellum, & Janſeniſtas inſurgerent, quos eo ipſo tempore adeò benevolos ſentiebant contra Jeſuitas Sinenſes? Ecquis erit paulò peritior, qui id ſibi perſuadeat. Arctiſſimo vinculo colligabantur. *Les affaires de la Chine, de la Hollande.* (Ubi erat Queſnellus) *de Lovain* (ubi erant Queſnelliani.) Quemadmodum ex Sententiâ D. Charmot ſcripſit P. Delbecque Dominicanus, & Aſſiſtens ſui Generalis ad Brigode, à ſecretis Queſnelli, in Epiſtolâ, quam ſuprà retuli. Pecuniâ, autoritate, Scriptis, ac Libris laborabant Maigrot, Charmot, du Vaucel, ſeu Walloni pro Causâ Dominicanâ, Domini ex Pariſienſi Seminario Miſſionarii, ex quo Maigrot, & Charmot erant, quemadmodum P. Baſſet ſimul cum Maigrot Miſſionarius apud Sinas, imò etiam DD. de Leone, de Cicè, Briſacier, aliique, DD. inquam Pariſienſis Seminarii ad Pontificem contra Jeſuitas Sinenſes ſcripſerant: An non Dominicani mutuam vicem rependerent in Janſeniſtis propugnandis. Quare exquiſitis artificiis avertebant mentem Papæ, ac Cardinalium ab Europæo Janſeniſmo ad Idololatrias Sinicas, ut illi quidem vocabant; contra quos contraverſos Ritus

H 4

Decretum Inquiſitionis editum eſt, anno 1704.

At quoniam plures adhuc ex Galliâ clamores exaudiebantur ab Antijanſenianis Epiſcopis, Clericis, Regularibus, tandem anno 1708. poſt tam multas querelas exterorum, prodiit Breve Clementis XI. quo proſcribitur liber Queſnelli tanto poſt tempore, ac tam multâ, tamque diuturnâ animarum ſtrage percelebris; ipſos enim 37. annos lectus eſt impunè, fruſtrà clamantibus Catholicis ad Apoſtolicam Sedem, Romanis autem Dominicanis cum DD. du Vaucel, Hennebel, Charmot, Maigrot, aliò artificiosè avocantibus Pontificias curas; *Exitus oſtendit*, inquit, Epiſcopus Laffitteau, *ſi liber*, ille *ſtatim proſcriptus fuiſſet*, *tùm Eccleſiam*, *tùm Galtias habituras fuiſſe pacem*: Ità in Hiſt. Conſtit. lib. 1.

Tot malis illud etiam acceſſit, quod ſivè fraude, ſivè inſcitiâ Dominicanorum Inquiſitionis Romanæ (alterum enim ex his neceſſe eſt interceſſiſſe) Apoſtolicum illud Breve receptum nequaquam in Galliis fuit ex quâdam videlicet clauſulâ, quâ *Liber* ad ignem imperio Pontificio damnabatur : Hoc autem Juris in Galliis una Civilis poteſtas ſibi vindicat. Sin minùs id dixero fraude id contigiſſe, ut

Clementis XI. Breve in Queſnellum inutile fieret, at certè inſcitiâ ſaltem id eveniſſe dicam. Quod ipſum ſatis oſtendit, Commiſſarios in S. Officio Regulares ineptos eſſe: quod etiam Raynaudus cum aliis animadverterat; cùm Regnorum conſuetudines ignorent, quibus ignoratis plura decreta ab exteris non recipi neceſſe eſt.

Plurima ommitto, quæ Dominicanis faventibus Româ derivârunt in commodum Janſeniſmi, ut jam Gallis, ac Belgis, tùm Catholicis, tùm Janſeniſtis loco Adagii ſit; nullum Janſenianis *Sectariis firmiorem Clipeum ſuppetere*, contrà Pontifices; quàm *Romanos Dominicanos*: *Un grand Ordre puiſſant à Rome.* Aiebat Queſnellus in Scripto, quod recitat Meyer in Præfatione Hiſtoriæ de Auxiliis. Quo etiam in loco, ac prioribus quoque Capitibus *Vindiciarum Hiſtoriæ ejuſdem oſtendit*; Quàm bellè mutuam ſibi operam præſtiterint Janſeniſtæ, ac Romani Dominicani in edendâ Panopliâ Lemos, Actis ejuſdem Lemos, Opere Reginaldi, aliiſque.

At præſtat ſilere tandem de hoc argumento ne infinitus ſim, ac Libellus in Tomum excreſcat: quòd facillimè fieri poſſet, etiam authenticis, atque ut aiunt

Originalibus documentis in medium productis : Satis ea ſint, quæ recitavi, ac indicavi leviſſimè : Nonnulla fortaſsè in Appendicem rejiciam; ne nimium hîc ab inſtituto deflectam. Mirabitur autem ætas omnis, ac poſteritas : quî fieri potuerit, ut Pontifices, ac Cardinales Tribunal contrà hæreticam pravitatem inſtitutum non auferant ab eorum Regularium adminiſtratione, quos perſpicuè conſtat, eò uſque Beneficiorum à S. Sede Apoſtolicâ ſibi collatorum oblitos, ut non modò in Galliis rebellaverint maximo numero à Conſtitutione *Unigenitus*, & ad futurum Concilium, integris eorum Conventibus ſuffragantibus appellaverint; Formulario Alexandrino ſubſcribere in ipſo Capitulorum Provincialium conſpectu detrectaverint : verùm etiam in ipsâ Romanâ Urbe ab Officio ſuo deflectentes, proditâ Pontificiâ cauſâ ſint turpiſſimè prævaricati : Quotuſquiſque Regum, ac Principum Civilem Juriſdictionem hominibus tantâ non dicam ſuſpicione, ſed evidentiâ laborantibus impartiretur? Anno 1740. & 1741. Dominicani, Inquiſitionis in Ditione Avenionenſi conſtitutæ, non clanculùm, ſed apertè Janſeniana ſcripta typis vulgârunt, eademquè diſſeminârunt longè latèque, Maſſilienſi

Epiſcopo, ac Carpentoratenſi contemptis, eâ audaciâ, ac petulantiâ quæ deſcribitur in Libello cui titulus, *Lettres au R. P. Robert. ann.* 1741.; Omnia autem per Notarios deſcripta fuêre, ne qua falſa ſuſpicio ſubeſſet. Nec tamen hæc ſatis erunt, ut videat ac judicet Romana Curia Inquiſitionis Tribunal odium maximum apud Hæreticos comparaſſe quod certò certius eſt. Si pii etiam Catholici non admodum amicè, ac benevolè ſentiant de ejus adminiſtratione; quis ejus fructus exiſtet, atque utilitas? quæ in Romanam Eccleſiam Populorum reverentia? Denique hoc maximè infixum vellem Prælatis omnibus, ac Cardinalibus Romanæ Curiæ: Cùm Inquiſitionis, cura præcipua contrà Hæreſes ſit, eaſque maximè, quæ inter Catholicos occultè graſſantur; harum autem maxima, ac peſtilentior ea ſit, quæ Janſeniana dicitur: malo conſilio nunc temporis Inquiſitio committitur Dominicanis Fratribus, qui Thomiſtica placita de Gratiâ per ſe efficaci propugnant cum ſuo Bannez, & Alvarez. Breviter enim dicam, Thomiſticam Sententiam de Gratiâ per ſe efficaci, Janſenianam eſſe, ſi quis dicat: Blaſphemum eſt, impium eſt, temerarium eſt, & maximè injurioſum Scholæ optimæ,

& Catholicæ. Cæterùm ejus defenſores Dominicanos in maximo periculo conſtitutos eſſe, ne Janſeniſtæ evadant, Hoc ſanè veriſſimè dicitur: Homo enim qui bonum liberè non operatur, inſtructus eſt ſanctâ illuminatione, & inſpiratione excitante ad bonum: Caret tamen aliâ diſtinctâ, & ſpeciali gratiâ per ſe victrici, & efficaci, & ad operandum in actu ſecundo neceſſariâ, ſine quâ repugnat actu exiſtere bonum opus. Id docet Dominicanus, idipſum Janſeniſta docet, Moliniſtis repugnantibus: neque huc uſque aliquid contrà Fidem. Diſcrimen inter Catholicum Dominicanum, & Janſeniſtam Hæreticum hoc intercedit: Suadere ſibi Janſeniſta non poteſt, quòd homo utcunque à Deo illuminatus, & inſpiratus, habeat veram potentiam, & ſufficientiam ad opus bonum; ſi careat ulteriori gratiâ per ſe efficaci ad operandum neceſſariâ, quam ſibi nequit acquirere: Irridet in ſecundâ Epiſtolâ Provincialium hanc *potentiam, quæ non poteſt, hanc ſufficientiam, quæ non ſufficit.* Similia habet Janſeniſta recentior *Palladius* in Criſi adversùs *Steyartii Concluſionem* 7. ubi vocat *Exoticam quandam gratiam ſufficientem Thomiſticam, quæ non ſufficit, nomenclaturam inſigni abſurditate deliram, appellatio-*

nem ludicram gratiæ verbo ſufficientis, re non ſufficientis. Cæterùm ſi vobis Dominicanis deſipere ſtatutum eſt, deſipite in pulpitis veſtris quantùm libuerit, nunquam efficietis, quin totus mundus, exploſâ illâ Thomiſticâ ſufficientiâ ità tamen malè nuncupatâ, cùm D. Thomas nihil ejus meminerit, ſemper & ubique cibos, veſtes, pecunias, Moliniſticè ſufficientes deamet. Ægidius de Witte in novâ Apologiâ pro ſanctâ Doctrinâ Janſenii Epiſcopi Iprenſis p. 39. *Nomen gratiæ ſufficientis à falſis quibuſdam Thomiſtis excogitatum eſt, ut ſe in ſpeciem jungerent Moliniſtis, vitarentque perſecutiones, cui Jeſu-Chriſti gratia expoſita eſt; vocari ea poteſt nequitia maxima, & ſingulariſſima perfidia, quæ in perverſione idiomatis unquam commiſſa ſit à tempore quo Chriſtiana ſtetit Eccleſia.* Petrus de Ligni, notus etiam Janſeniſta in Epiſt. ann. 1691. 1. Februar. gratiam ſufficientem Thomiſtarum vocat *ſtultitiam.* Et ſiquidem Dominicanus rei difficultate victus ſuccumbat, illicò Janſeniſta eſt, negans hominem qui non operatur habere veram indifferentiæ libertatem, hoc eſt veram potentiam, & ſufficientiam ad benè operandum; ne autem Dominicanus in Janſeniſmum ruat; opus eſt, ut non ſine magnâ difficultate intellectum ſuum captivet in obſequium

Bannez, & Alvarez : ut fateatur, & animo credat hominem illuminatum, & inſpiratum à Deo abſque illâ aliâ per ſe efficaci gratiâ neceſſariâ, omninò inacquiribili habere verum poſſe, & veram ſufficientiam ad bonum opus, habere inquam verum poſſe, licet reipsà, & in actu ſecundo nequeat poni bonum opus abſque novâ gratiâ per ſe efficaci; quam non habet: habere veram ſufficientiam ad opus bonum, quamvis hæc ſufficientia non ſit ſatis, ſed requiratur ad opus reipsà ponendum alia per ſe efficax gratia. Cùm autem hoc ſit myſterium creditu difficillimum, nimis facilis eſt ſaltus à Thomiſticâ hâc opinione in Janſenianam, quâ credat omnem hanc potentiam, & ſufficientiam Thomiſticam non eſſe niſi ſolis vocibus potentem, ac ſufficientem.

Sequitur ex his 10. non eſſe committendam Inquiſitionem in Janſeniſtis Dominicano Fratri, ſub cujus pallio tam facile, ac proclive eſt latere Janſenium. Poſt ſolemnem Innocentii X. Conſtitutionem contra quinque Janſenii Propoſitiones. „ Fr. Nolanus, quòd ei Conſtitutioni „ illuderet, à S. Mariâ ſuper Minervam, „ ubi Theologiam profitebatur, ad tur- „ rim primum Nonnanam, tum ad Tul- „ lianum traducendus fuit. Quam ſor-

„ tem nactus eſſet Avenione Fr. Anto-
„ nius Reginaldus, ſimili ludibrio Bul-
„ lam contra Janſeniſtas latam detorquens
„ ad Janſenii indemnitatem. Niſi Fr. à
„ Turno ibidem de Fide Inquiſitor, Jan-
„ ſenii, & ipſe partiarius (quippe qui
„ Janſeniſticam Harſani Concionem præ-
„ fixo Janſenii cumulato elogio Romæ
„ approbârat) tutum feciſſet Sodalem,
„ eâdem erga Pontificem Fide, quâ Bul-
„ lam contra Janſenii errores ubivis in
„ Galliâ vulgatam, ne in Avenione, &
„ in tribus Comitatûs Venayſſini Epiſ-
„ copatibus Pontificiæ ditionis evulga-
„ retur, effecit." Hæc narrat Raynaudus natione Gallus, & teſtis coævus, ac bene conſcius Diatribâ 2. de immunit. Cyriacorum: quo in loco addit. Hoc ipſo menſe Julii anni hujus 1655. Lutetiæ in Cœnobio Cyriacorum (Dominicanorum) quod eſt in Regione S. Honorati, Theſes ad diſputandum propoſitæ ſunt, quas Janſenianâ leprâ contaminatas, illuſtriſſimus à Balneis Nuncius Apoſtolicus, ubi reſcivit, ſupprimi mandavit, ſed cùm Fratres protervirent, & ſe de ſententiâ deduci non paterentur, idem Nuncius querelam depoſuit apud Regni Cancellarium, cujus juſſis Janſenius inter Cyriacos obmutuit. E theſibus ad defendendum pro-

poſitis hæc una erat : *Ad merendum, & demerendum, non requiritur libertas à neceſſitate, ſed tantùm ab omni coactione : contrarium non definivit Innocentius X.* Recolenda ſunt, quæ jam dixi : quibus hæc ſint coronidis loco : Frater Natalis Alexander in Epiſtolâ 26. Auguſti 1701. ad D. Joſephum de Brigode Queſnelli Secretarium. „ Deum precor, ut det ſucceſſum „ bonum D. Hennebel, & omnibus ve„ ris S. Auguſtini Diſcipulis defenſori„ bus ſanæ doctrinæ. Si autoritate pol„ lerem, jucundiſſimum mihi eſſet hanc „ in illorum obſequium impendere." D. Hennebel fuerat Romæ à multo jam tempore Agens extraordinarius Janſeniſtarum, qui veri S. Auguſtini Diſcipuli in clavi Janſeniſticâ vocantur. Vide Meyer in præf. art. 3. de hoc Hennebello, vide cauſam Queſnellianam art. X. §. 7. Quàm ſibi charos haberet Janſeniſtas ſuos Natalis Alexander, publico Teſtimonio docuerat ante menſem, nempe 20. Julii 1701. quâ die cum 40. Doctoribus Pariſienſibus ſubſignaverat famoſum *caſum Conſcientiæ*, quo docebatur abſolvi poſſe Eccleſiaſticum qui animo crederet, quòd Janſenius malè condemnatus fuiſſet, & Doctrina libri ejus eſſet Orthodoxa. Contra quem Conſcientiæ caſum eſt Bulla Clementis XI. *Vineam*

Domini

Domini Sabaoth 1706. Præterea in Epiſtolâ D. Creits Janſeniſtæ Hollandi Româ 18. Decemb. 1700. ad D. Brigode Secretarium Queſnelli. *Le P. Serri nous vit à Padoüe, & temoigna ſes eſtimes pour M. de Freſne, & toute la ſainte Famille.* De Freſne in clavi Janſeniſticâ eſt Queſnellus, & cœtus Janſeniſtarum eſt S. Familia: quæ cifræ patent in Proceſſu Cauſæ Queſnellianæ. Epiſtola D. Creits legitur tom. 4. Epiſt. 7. Lib. cui titulus: *Suite du veritable Eſprit &c.*

Vides duos hos præcipuos recentiores ex Ordine Dominicano, victos rei difficultate, haud ſatis crediſiſſe magnum illud miſterium, quòd carens gratiâ per ſe efficaci neceſſariâ, habeat potentiam, quæ re, & nomine verè ſufficiat?

Alterum, quod ſequitur, eſt: etiam ii Dominicani ſententiæ Thomiſticæ de gratiâ per ſe efficaci aſſertores, quique ex animo tuentur contra Janſeniſtas, hominem ſine illâ veram habere ſufficientiam ad bona opera, adhuc non ſunt apti, ac idonei vel Judices, vel Conſultores contra Janſeniſtas, & eorum libros: cùm enim Janſeniſtæ à Dominicanis hoc differant, quòd iſti credant, ſine gratiâ per ſe efficaci, habere hominem verum poſſe, verum ſufficere: illi autem hanc potentiam

& ſufficientiam, cui deficit gratia alia neceſſaria ad actum, veluti Hircocervum, & Chimeram derideant; cæterum in reliquâ doctrinæ ſubſtantiâ, quod attinet ad ſtatum naturæ lapſæ conveniant, iiſdemque vocabulis utantur: primùm quidem difficile eſt, ut Dominicanus verè ardeat in Janſeniſtas, qui in tam multis ſimilis ſibi eſt: deinde ſatis facile eſt, ut abſterreatur à lædendâ Janſenianâ ſententiâ, timens ne ſuæ noceat; denique facillimum eſt eum decipi à Janſeniſtis, ſimilitudine vocabulorum Thomiſticorum. Teſtis eſt hiſtoria quinque articulorum, quos plures è Galliâ ad Alexandrum VII. miſerunt, tanquam ſuæ Fidei Profeſſionem, in obſequium damnationis, quâ confixæ jam fuerant quinque Janſenii Propoſitiones. Articulos illos plures Thomiſtæ tanquam Catholicos approbârunt, inter quos Gonetus. Væ tamen Romanæ Eccleſiæ, ſi his Thomiſtis auſcultaſſet. Conſtat ſiquidem eos à Janſeniſtis compoſitos, pluries à Queſnello laudari; tanquam optimam ſuæ Fidei Profeſſionem. Videatur de la Fontaine in Proleg. c. 8. ubi rem narrat. De his fraudibus rident ipſi Janſeniſtæ: Nam Ægidius de Witte in Auguſtini Iprenſis vindicati Vindiciis uberioribus ann. 1711. pag. 10. „ Nihil omninò vetat fraudem,

„ & ludos Clementi XI. fieri per æqui-
„ vocum Neo-Thomiſticum Idioma, Pe-
„ lagianis, ſeu mavis Molinianis aberra-
„ tionibus apprimè conſonum. Nam &
„ iſtâ adulterinâ verborum congerie, lu-
„ dos olim factos fuiſſe arbitror Alexan-
„ dro VII. per ſcriptum .... quinque
„ articulis conſtans....

Ut ea quæ dixi, altiùs infigantur, & omnes quorum intereſt ad congruum remedium excitentur; eum ſupplex rogo, atque obteſtor, qui iturus ad Patrem, Eccleſiæ ſuæ adfuturum promiſit ſe, uſque ad ſeculi conſummationem: ut pernicioſam illam exiſtimationem ab animis Catholicorum omnium evellat; quo plures putant Janſeniſmum errorem eſſe ſubtiliorem potiùs, quàm nocentiorem. Mitto quod dum libertatem indifferentiæ tollit, omnem boni operis ſollicitudinem aufert, hominemque agit præcipitem in graviſſimi cujuſque ſceleris barathrum: Hoc ſaltem prudentior quiſque perpendat, quo ſpiritu ſeditioſo Janſeniſtæ ſint in utramque Laïcam, atque Eccleſiaſticam poteſtatem. Ex Epiſtolâ à Janſeniſtis conſcriptâ ad D. Comitem d'Avaux Plenipotentiarium Ratisbonæ 1684. & repertâ inter ſcripta Queſnelli; patet eos voluiſſe, ut Janſeniſtis libera Fides permitteretur,

ſancito hâc de re articulo in Tractatu publico.' Ad Plenipotentiarios Congreſſûs Sueſſionenſis Epiſtolas ſuas miſerant, ut eorum patrocinium ſuſciperent contra *abuſus Curiæ Romanæ, & ejus politicam perniciosam.* In Epiſtolâ Enciclicâ Janſeniſtarum clarè dicitur, *Tridentinum non eſſe Concilium Canonicum, quemadmodum. Sancyranus dixerat fuiſſe hoc Concilium Papæ, & Scholaſticorum, plenum fraudibus, ac dolis.* Hæc & innumera alia leges in Epiſtolâ Epiſcopi Montis Peſſulani anni 1740. contra Regem Galliarum, & Epiſcopos ac Pontifices ſeditioſâ.

Quos ſenſus ſuis inſtillent Janſeniſtæ, docet Queſnellus in Epiſtolâ Abbatis, ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum, nam pag. 21. *Romanum*, inquit, *Tribunal videtur eſſe Latronum Latibulum, ubi Cenſores inſidiantur hominibus, ut eos damnent*, pag. 3. *Certum eſt Decreta Civilia magis juſta eſſe, & æquitati conformia; quàm Decreta Curiæ Romanæ.* pag. 31. *Maxima pars Cardinalium, & Theologorum Romæ nihil intelligit.* Docet ſimilia Wallonus, qui ultra 20. annos Romæ fuit Agens factionis Janſenianæ; in facile mille ducentis Epiſtolis ſcriptis ad Arnaldum, Queſnellum, Erneſtum, & alios: Vide cauſam Queſnellianam Art. X. §. 1. p. 244.

Aliqua recitabo ex Art. XIV. pag. 376. Itaque in Epiſt. ad Queſnellum Româ 23. Septemb. 1703. *On vient de me dire, qu'outre le Decret contre le Cas, le Pape a envoié trois Brefs... On doit tout craindre d'Olibro* (*Clemens XI.*) *ſoufflé & prévenu, comme il eſt par les Rouliers* (*Jeſuites*)... *La plûpart des Evêques ſont parfaitement ignorans ſur ces matieres, & ils ne daignent pas ſeulement s'en inſtruire.* 5. *Maii* 1703. *On a ſçu d'aſſez bonne part, qu'Olibro* (*Clemens XI.*) *eſt toujours fort content de ſes Brefs,.... Jugez quelle doit être ſa prévention, & ſon entêtement, & même ſon ignorance ſur toutes ces matieres.* 18. *Junii* 1701. *Tous les Chapitres des trois Baſiliques* [*de Rome*] *toute la Prélature, & generalement tout le Clergé, ne fourniroient pas deux perſonnes, qui fuſſent capables, & en état, de dreſſer un Votum ſur des Matieres de Theologie, & de Doctrine?* 21. *Julii* 1696. *Ces Eminentiſſimes ne ſont nullement Theologiens, & ils ne le ſont pas davantage, lorſqu'ils deviennent Papes; comme Innocent X. l'avoüoit de lui-même: de ſorte, qu'ils ne ſçavent, que d'une maniere très-confuſe ce qu'ils condamnent, ou ce qu'ils ne condamnent pas: ſur-tout dans des Matieres abſtraites & difficiles, comme ſont celles de la grace.*

His ac pluribus aliis relatis ſic conclu-

dit Proceſſus Cauſæ Queſnellianæ pag. 356. „ Plura ad manum ſunt: Sed hæc „ ex innumeris ſufficiant, ut dubium „ nullum relinqui poſſit, quin indigniſſi-„ mis modis ab utroque (Queſnello, & „ Wallono) habiti fuerint Venerabi-„ les Eccleſiarum Antiſtites, Eminen-„ tiſſimi Cardinales, ipſique in terris „ Chriſti Vicarii, & Sedes Apoſtolica. „ En cui hominum generi non reſiſtant, „ qui de Janſeniſtis non curant?

Specimen aliud diligentiæ, quâ Romani Dominicani invigilant in Janſenianis erroribus inſectandis, exhibent *Prælectiones Theologicæ* Fr. Hyacinthi Serry tom. IV. Diſp. III. Prælectionibus VI, VII, VIII. editæ Venetiis an. 1742.

Prælectionis VI. argumentum „ Num „ Romani Pontifices, & Concilia Oecu-„ menica infallibilitatis privilegio gau-„ deant, ubi de factis doctrinalibus ju-„ dicium ferunt...... *Et infrà*. Facta.. „ alia hiſtorica, ſeu perſonalia, alia dog-„ matica, ſeu doctrinalia nuncupantur, „ ac etiam textualia..... Sed & illa fa-„ cta dogmatica, quibus ſcilicet dogma „ aliquod Scripto cuipiam attribuitur, „ duplicis adhuc generis diſtinguuntur: „ Alia ſunt per ſeſe patentia, & ab om-„ nibus agnita; alia ſubobſcura ſunt, va-

„ riiſque difficultatibus obſita, atque hinc
„ inde inter Theologos diſputata .... De
„ his ergo poſtremi generis factis, ut vo-
„ cant doctrinalibus, textualibus, ſub-
„ obſcuris atque recentibus, quæſtio no-
„ bis eſt..... Quâ in re negantem par-
„ tem amplector, nullumque hujuſmodi
„ privilegium agnoſco : Imò & Roma-
„ nos Pontifices & Concilia Oecume-
„ nica errori ac deceptioni obnoxia pu-
„ to, ubi de factis doctrinalibus, &c.

Et infrà pag. 129. ſub finem in exemplum apponitur *ipſius Janſeniani facti definitio, de quo tot, ac tantæ ætate noſtrâ excitatæ ſunt turbæ.*

Hoc aſſertum probat Serry totâ eâ Prælectione VI.: Indè ſequitur Prælectio VII. hoc titulo „ Hæc eadem Sententia mul-
„ tis exemplis confirmatur.

Sequitur Prælectio VIII. hoc titulo:
„ Contrariis Argumentis occurritur.

Hâc ſcilicet Doctrinâ imbuta eſt Patavina Accademia, dum Serry viveret: His modo in publicam lucem editis ab an. 1742. imbuitur Italica Juventus, quæ nihil mali ſuſpicabitur in eo libro, quem liberè permittunt omnium manibus Romani Dominicani, cæteroquin oculatiſſimi in quocumque libellulo proſcribendo, qui plus, quàm ipſi vellent, faveat

I 4

Immaculatæ Virginis Conceptioni. &c.

Jam omnes appello Catholicos Galliarum ac Belgarum Epiſcopos, ac Doctores; quorum cum Janſeniſtis eſt aſſidua pugna, an non hæc ipſa, tota prorsùs quanta eſt, doctrina ſit Sectariorum, qui ſubſcribere renuunt Formulario Alexandrino: eo quòd negent infallibilem Eccleſiam in factis, ut aiunt Dogmaticis definiendis? Libeat itaque exclamare de Romanis Dominicanis: ô præclaros cuſtodes ovium!....... His nimirùm egregiis ſuis Adminiſtris debet Romana Curia vulgatum illud Proverbium, quo pii quique Catholici conqueruntur. Roma, inquiunt, unâ quidem manu Janſeniſtas, Queſnelliſtas, Appellantes perſequitur, alterâ tuetur, ac fovet.

CAPUT VIII.

Praxis, quam in Romanam Inquiſitionem invexêre Regulares, minùs opportuna eſt Hæreticis, ac Schiſmaticis ad Eccleſiam revocandis: hinc neceſſitas Inquiſitionem committendi Seculari Clero ex PAULI III. conſtitutione.

CÆterùm non eo nomine tantùm nocet Dominicana Inquiſitionis adminiſtratio, quòd nimiùm amicè agat cum Janſeniſtis, verùm etiam, quòd admodùm acerbè cum aliis Hæreticis. Vaſtum hinc mihi exiſteret conſcribendi Libri argumentum. Per priora duodecim Eccleſiæ ſecula mitiſſimè actum eſt cum Hæreticis, at prætextu augendi paulatim autoritatem ſuam, ſemper novis obtentis Apoſtolicis Literis, ad ſummam ſeveritatem eam evexerunt Inquiſitores Mendicantes. Cui vacat, legat non Hiſtoricos modò, ſed ipſas Literas Apoſtolicas apud Pegnam in Directorii Appendice: & à primis incipiens, nova ſemper ſeveritatis, atque acerbitatis incre-

menta perſpiciet. Non repugno, quin hâc ratione agatur cum iis, qui in Catholicâ Fide, in quâ nati ſunt, atque enutriti, magnâ perfidiæ notâ deficiunt. Quamquam & hæc ſecundaria adminicula minùs dixerim præcipua. Hoc enim præcipuum eſt, ut Prælati cum utroque Clero non quærant quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti, verbo & exemplo: Hæc enim verò ad Catholicos ab Apoſtaſiâ continendos plus proficiunt, quàm centum Anathemata cum ſexcentis Comminationibus, ac Condemnationibus. Verùm quid eſt, quòd Regulares, Romanæ præcipuè Inquiſitionis, hanc animi acerbitatem Pontificibus, ac Cardinalibus inſtillent in Anglos, Hollandos, Genevenſes, Helvetios, ac Germanos Sectarios, Græcos etiam Schiſmaticos: cùm potiùs pro eo Fidei zelo, quo ipſos inflammari deceret, curandum eſſet, atque omnibus viribus contendendum; ut Pontifices, Cardinales, atque univerſa Romana Curia Populos, ac Principes à Romanâ Fide alienos amore, benevolentiâ, charitate, omnique officii ſignificatione complecterentur. Catholici, ne à Fide deſciſcant contineri; & amore, & timore opportunè valent; at Populi, ac Reges, qui ſui Juris, atque arbitrii

ſunt ; nonniſi amore allici ad Fidem poſſunt. Una hæc via eſt, quâ eo uſquè ſaltem demulceantur, ut Catholicis in ſuis Regionibus liberum Religionis Orthodoxæ uſum indulgeant.

Ne ille toto cælo aberraverit, qui putet Septentrionis Regiones à Fide Romanâ defeciſſe, Lutheranæ, aut Calvinianæ Doctrinæ amore, ac ſpecie deceptos : Id à veritate alieniſſimum eſſe clamat omnis eorum temporum Hiſtoria Eccleſiaſtica, atque Prophana. Præcipua, ac veriùs dixerim, omnis deficiendi cauſa fuit odium in Romanum Pontificem, Romanamque Curiam : quod odium, & Eccleſiaſtici, & Regulares acerrimum conciliârunt, tùm peſſimis ſuis eâ ætate moribus, tùm imperandi, ac dominandi ſuperbiâ, atque avaritiâ. Meminiſſe quidem debuerant Populi Evangelici moniti : *Quæcunque dixerint vobis ſervate, & facite : ſecundùm autem opera eorum nolite facere.* Aliis prætereà remediis uti Principes, ac Nationes poterant ; non peſſimo hoc defectionis remedio à Romanâ Fide, tot ſignis ac prodigiis ſanctiſſimorum Virorum, à Lutheri quoque, & Calvini temporibus confirmatâ. Quapropter non eam juſtam fuiſſe, dico, deficiendi cauſam ; ſed ta-

men cauſam fuiſſe, perſpicuum eſt.

Locupletiſſimum Teſtimonium dabo ex Adriano VI. qui Leoni X. ſucceſſit ſub initia Lutheranæ factionis. Is Internuncium ſuum in Germaniam delegit Franciſcum Cheregatum, Epiſcopum Aprutinum, cum Mandatis, quorum hic erat titulus : *Inſtructio pro te Franciſco Cheregato, de quibuſdam, quæ Prælatis, Principibus, & Civitatum Germanicarum Oratoribus dicere poteris vivâ voce; ubi, & quando opportunum judicaveris.* Integrum recitat Raynaldus in annalibus ad annum 1722. „ Inter alia hæc leguntur n. 67. Lu-
„ therani.... ab initio præ ſe tulerunt Ec-
„ cleſiaſticam poteſtatem, tanquam ty-
„ rannicè, & contrà Evangelium occu-
„ patam : " N. autem 70. hæc habentur.
„ Item dices, nos ingenuè fateri, quòd
„ Deus hanc perſecutionem Eccleſiæ
„ ſuæ inferre permittit propter peccata
„ hominum, maximè Sacerdotum, &
„ Eccleſiæ Prælatorum.... ſcimus in
„ hâc S. Sede aliquot jam annis multa
„ abominanda fuiſſe : abuſus in ſpiritua-
„ libus, exceſſus in mandatis, & om-
„ nia denique in perverſum mutata : " Alia plura in hanc rem ſcribit. Animadvertendum verò eſt omnia quidem Eccleſiaſticorum crimina nocuiſſe Eccleſiæ,

at illa omnium maximè, quæ aliis incommodabant, quemadmodum dominandi ſuperbia atque avaritia. Legantur priora Lutheri ſcripta Tom. 1. Operum, nihil aliud reperias quàm perpetuas de his querimonias, quibus Provincias ad rebellionem excitabat. In colloquio, quod anno 1532. habitum eſt inter Henricum VIII. Angliæ, & Franciſcum I. Galliæ Reges; ſcribit Raynaldus in Annalibus ad eum annum, quod „ nonnulli, „ Hæreſi infecti, hos Reges impellere „ niſi ſint, ut Conciliabulum con- „ gregarent; in quo Pontificem in jus „ vocarent, ob acerbiora Apoſtolicæ „ Autoritatis Imperia, non aliter quàm „ Germani de ſuis, ut dicebant, gra- „ vaminibus conquerebantur. " Ad annum verò 1535. quo Henricus VIII. apertè defecit, narrat hæc Raynaldus ex Sandero. „ In Litaniis, precibuſque, „ quæ tùm privatim, tùm publicè in „ omnibus Oratoriis, Eccleſiis, Mo- „ naſteriis, aliiſque in locis recitaban- „ tur; loco petitionis illius, quæ pro „ Domno Apoſtolico à Chriſti Fideli- „ bus per univerſum Orbem fieri ſolet." Henricus hæc impia verba apponi præcepit, *ab Epiſcopi Romani tyrannide, & deteſtandis enormitatibus libera nos Domine.*

Poſt Genevæ defectionem hoc monumentum Genevenſes æneâ tabulâ ſtatuerunt; ut refert Raynaldus in Annalibus ad ann. 1535. n. 16. *cum anno Domini 1535. profligatá Romani Antichriſti tyrannide, abrogatis ejus ſuperſtitionibus... &c. Senatus Populuſque Genevenſis monumentum hoc, &c.* Alia hujus generis innumera ſuppetunt. Rogo autem pro eâ, quam debemus erga communem Patrem, & Paſtorem Romanum Pontificem reverentiâ, atque amore; num hujuſmodi altè defixa præjudicia, viribus omnibus extirpanda ſint, an altiùs infigenda? an non potiùs malum, quod ſuperbiæ, atque auſteritatis Pontificiæ famâ conflatum eſt, lenitate, manſuetudine, charitate curandum ſit; eâque animi, verborum, factorumque demiſſione, quæ Pontificiam non dejicit, ſed extollit Majeſtatem. Rogo, ac vehementiùs poſtulo, nùm amoris ſuavitatem, ac dulcedinem ſapiant in Lutheranas, ac Calvinianas, & alterius cujuſlibet ſectæ Nationes, Reſpublicas, Regna, tam multæ Cenſuræ, Excommunicationes, execrationes, maledictiones, Anathemata: quæ, nonnulli Regulares, præcipuè ex Inquiſitionis Officio: ubi Pontificibus, ac Cardinalibus ſuaſerint, ac perſuaſerint, tunc

enim verò ſeſe egregiè zelo zelatos pro Domino Deo exercituum putant: Putabimusne poſt Lutheranos, ac Calviniſtas in Bullâ Cœnæ deſcriptos (quod Conſilio Regularium S. Officii debetur) aliquem hâc de cauſâ ad Chriſti Ovile rediiſſe, cùm tamen ſexaginta eoque ampliùs errantium millia, S. Franciſci Saleſii lenitas, ad obedientiam Pontificiam ex Sectariorum Scholâ perduxerit nullâ in eos excommunicatione intentatâ.

Innumeros etiam Calvinianâ lue infectos ad Romanam Fidem perduxerit ſanctus Joannes Franciſcus Regis: uterque ſanè nullis vinculis, aut carceribus, nullo milite, ſpiculatore, Birruario, ſed gladio ſpiritûs, quod eſt Verbum Dei: in omni paupertate, humilitate & charitate. Sed facilius eſt bonis Fratribus præliari prælia Domini per vincula, carceres, milites, ſpiculatores, Birruarios: dum ipſi bonis prandiis interim ſaginantur, ac dimiſſis Theologiæ, & concionum laboribus, ac ſtudiis; munerum tributa corradunt undecunque: Sancti Officii Patentes, uti vocant, ad nauſeam Populorum, Gubernatorum, Epiſcoporum diſtribuunt, aut veriùs vendunt, magno ſcelerum, ac ſceleratorum patrocinio. Non hoc agendi modo S. Antonius Patavinus, malleus Hæ-

reticorum dictus eſt. Ipſe, quin etiam S. Petrus Martyr, non novo iſto more Inquiſitor, Hæreticos, atque Hæreſes diligentiâ inquirebat, & detegebat: ſed per ſaluberrimas conciones hortabatur, aut confutabat. Sed redeundum eſt ad neceſſariam in Hæreticos charitatem, atque importunam in eoſdem acerbitatem.

Quid dicam de Cenſuris Clementis VII. in Henricum VIII. Angliæ Regem, quid de pœnâ privationis Regni, per PAULUM III. in eundem Henricum, per S. Pium V. in Eliſabetam decretâ, & Chriſtianis Principibus in eos incitatis, quam nullus ex his fructus, quàm multa, eaque graviſſima damna, quàm magnus Romanæ Sedis contemptus extiterit: legat, qui id poterit ſiccis oculis, apud Spondanum ad annum 1534. n. 4. 1538. n. 14. 1570. n. 3., & aliàs paſſim. Hinc vetus illa cantilena de Pontificiâ Tyrannide, adhuc linguis, ac ſcriptis Proteſtantium, aliorumque ſectariorum teritur: quo odio, rabie, ac malevolentiâ acti, more aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas, ne patiuntur quidem ſalutares conciones, ac monita; nec piorum pro Catholicâ Religione librorum voces ſuſtinent, quare Romana Cathedra, ac Fides poſita eſt in *ſimilitudinem gentibus, & commotionem capitis in Populis.*

Nullum

Nullum hujus mali remedium certius, atque expeditius eſt, quàm quòd Regulares, illuſtris portio gregis Chriſti, maneant in eâ vocatione, quâ vocati ſunt, opus divinorum diviniſſimum exerceant, Deo ſcilicet in ſalutem animarum cooperari, ſacris Prædicationibus, Miſſionibus, ſacris Diſciplinis tradendis, libriſque conſcribendis, ac diligenti Sacramentorum adminiſtratione: Juriſdictionis autem Eccleſiaſticæ exercitium, quod in Regulares per Inquiſitionis munus aliaque derivatum magnâ ex parte eſt, Clero Seculari reſtituatur. Prioribus XII. ſeculis, in quibus Romanus Pontifex, & Epiſcopi Eccleſiaſticum regimen adminiſtrabant, nullæ hujuſmodi tàm frequenter, ac vulgò exaudiebantur populorum querelæ, de Pontificis Romani auſteritate, ac quaſi tyrannicâ Gubernatione. A ſeculo XIII. poſt exortos Mendicantium Ordines conqueri ſatis acriter cœperant Epiſcopi de Sede Apoſtolicâ, & ejus auctoritate; quòd nimiâ, ut loquebantur, indulgentiâ eos Regulares complecteretur, exquiſitis conceſſis Privilegiis, in Verbo Dei, Sacramentiſque adminiſtrandis, & Sacrâ Inquiſitione gerendâ in magnum detrimentum Epiſcopalis poteſtatis. Acceſſit abuſus Regularium, qui ſe gerebant

tanquam *dominantes in Cleris*, & Cenſuras, ac honorum mulctas, auctoritate Pontificiâ tertio quoque verbo inſonabant; quorum innumera exempla, ac planè horrida proferrem, ſi per tempus liceret; atque hæc quidem eò per ſe collineabant; ut Papam auſterum, atque imperioſum Principem populis exhiberent; Quid? quod ut gratam vicem rependerent Romano Pontifici pro Beneficiis, & Privilegiis acceptis, id quaſi ex condicto ſibi ſumpſerunt Regulares, ut Pontificiam auctoritatem, ac poteſtatem nimiâ adulatione extollerent. Annius Viterbienſis Magiſter S. Palatii in Comment. ſuper Apocalip. ſcriptis ann. 1481. „ Dubitatur, inquit, an „ Agnus, & ejus Vicarius Pontifex Maximus, ſit jure divino Rex Regum, „ ſivè Monarcha temporalis hujus mundi? " Reſpondeo affirmativè: Indè poſt ineptiſſima Corollaria ſic concludit Corollario 20. & ultimo: „ Sequitur, quòd „ qui Chriſti Vicario contradicunt, ſivè „ Cæſares, ſivè Reges, ac Principes, „ & Poteſtates, ſtatim Jure divino Tyranni efficiuntur, ſuntque magis ſub „ Beſtiæ Mahometanæ tyrannide, quàm „ ſub juridicâ divinâ Monarchiâ immaculati Agni. " Et Silveſter, alter Magiſter S. Palatii tempore Lutherani Schiſmatis

in Summâ Verbo *Papa* n. 1. „ Papa, inquit
„ dictus eſt quaſi admirabilis: à Papæ! in-
„ terjectione admirantis : eo quòd Vica-
„ rius ſit Chriſti, & Dei, cujus eſt ter-
„ ra, & plenitudo ejus.

Quam magnifica deinde ſubjiciat ex hoc exordio divinare potes : ne autem credas ſermonem hunc adulationis pleniſſimum, invectum fuiſſe à Fratribus Seculo XV., aut XVI. Accipe, quid Joannes de Murro Theologiæ famâ clarus ex Ordine Fratrum Minorum ann. 1302. dixerit in Conſiſtorio Cardinalium ad Epiſcopos Legatos Philippi Regis Galliæ, ſuique Cleri de temporali poteſtate Pontificis in univerſum orbem. Poſtquam in oratione ſuâ de Pontifice Romano expoſuiſſet illa Prophetæ. *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper Regna*, &c. Diſtinguendum dixit, inter Juriſdictionem temporalem, prout competit ratione *actûs & uſûs*, vel ut competit alicui *de Jure*. „ Unde,
„ inquit, Juriſdictio temporalis compe-
„ tit ſummo Pontifici, qui eſt Vicarius
„ Chriſti, & Petri *de Jure*, & qui con-
„ trarium ſentit, impingit in illum arti-
„ culum, *qui judicaturus eſt vivos & mor-*
„ *tuos*; & in illum, *Sanctorum Communio-*
„ *nem*. Sed quantùm ad uſum &c. non
„ competit ei." Quid itaque miremur ſi

Pontifices tot adulatoriis ſermonibus commoti, durioribus aliquando Conſiliis, magno Eccleſiæ malo, in Reges uſi ſint? non miror quòd idem Bonifacius VIII. in eodem Conſiſtorio dixerit. „ Nos deponeremus Regem, ſicut unum Garcionem, licèt cum dolore, & triſtitiâ magnâ. " Hæc ex authenticis codicibus, ac monumentis legere eſt in Natali Alexandro ad Sec. XIII. & XIV. diſſert. 8.

Eamdem cum Card. de Murro opinionem docet Silveſter Dominicanus, & Magiſter S. Palatii Verbo *Papa* N°. 11. N°. autem 14. „ Error, inquit, quòd Papa non „ habeat temporalem Juriſdictionem in „ totâ Eccleſiâ: unde dico, quod ex ple„ nitudine Poteſtatis, ex causâ rationabili „ poteſt omnes Leges Civiles coërcere, „ & alias condere: niſi in quantum ſpe„ ctant ad jus naturale, ac divinum. Nec „ Imperator cum omnibus Legibus, & „ populis Chriſtianis poſſent contra ejus „ voluntatem quidquam ſtatuere. " Ex his opinionibus putidâ aſſentatione pleniſſimis, aliiſque hujuſmodi; originem ſuam traxêre *abuſus in ſpiritualibus*, & *exceſſus in Mandatis*, ut Adrianus VI. loquebatur, quibus tantum odiorum Romano Pontifici comparatum eſt.

Id teſtatur ſelecta Cardinalium, ac inſignium Prælatorum Congregatio ſub PAULO III. ad Eccleſiæ Reformationem; in ſcripto, quod eidem obtulit an. 1538. „ Principium horum malorum „ fuiſſe, quod nonnulli Pontifices Præ„ deceſſores ſui, prurientes auribus coa„ cervaverunt ſibi Magiſtros; non ut ab „ eis diſcerent, quod facere deberent: ſed „ ut eorum ſtudio, & calliditate inve„ niretur ratio, quâ liceret, id quod li„ beret.

A quo argumento non admodum diſtant quæ ſcribit Spondanus Apamienſis ad ann. 1516. „ Ipſam quoque, inquit, Se„ dem Apoſtolicam Leo X. Regulari„ bus obnoxiam, ſubjectamque voluit: „ iratus fortè, quòd non Epiſcopos adeò „ faciles ad Pontificum obſequium in„ veniſſet. " Verùm aſſentatoriam aliquorum Regularium facilitatem, magno pretio emit Leo X. Lutheranis turbis anno inſequenti excitatis: non modò non impediente; ſed incendium excitante poſt Inquiſitorem Hochſtratum, alio Inquiſitore Tetzelio. Cùm itaque Regulares plurimi, ſivè directè ab uſu juriſdictionis, præcipuè in Inquiſitione exercendâ; ſivè indirectè adulatoriâ quâdam docendi ratione, novam in multis politiam, in

Eccleſiam à XIII. Seculo invexerint, eandemque, ſaltem quoad Populos Sectarios, eorumque Principes, ſeveriorem; atque omninò inutilem convertendis ad Fidem Septentrionalibus Nationibus, imò etiam detrimenti pleniſſimam: prioribus autem duodecim ſeculis, zelo ſecundùm ſcientiam mitiori, & ad Populos non exaſperandos, ſed alliciendos accommodatiſſimo, uſus ſit Secularis Clerus: an non opportuniſſimum erit, Conſtitutionem PAULI III. ſervare? hæreticæ pravitatis exterminandæ curam eidem Clero demandare? Quod tùm demum fiet, cùm Primarius Inquiſitionis Adminiſter, Commiſſarius ſcilicet Generalis; ex quo ferè omnia, ſivè directè, ſivè indirectè pendent: inſignis quiſpiam Prælatus fuerit, aliuſve egregius Eccleſiaſticus; qui unà cum Conſultoribus promiſcuis ex utroque Clero, & unâ quâque Natione; modum agendi charitate pleniſſimum cum Heterodoxis Septentrionalibus, tùm Rom. Eccl. Cardinalibus, tùm ſummo Pontifici ſubjiceret, ac ſuggereret: eamque praxim revocaret, quæ prioribus Seculis obtinebat, cùm unus Secularis Clerus Fidei negocium adminiſtraret: nec hujuſmodi facultas ab Epiſcopis, totoque Seculari Clero ma-

gnâ ex parte divulſa, & ad Inquiſitores tranſlata eſſet.

Iis ſiquidem Seculis, pari ad ſummum jure cenſebatur Hæreticus, ac Gentilis. *Hæretici, ac Schiſmatici ſunt extrà Eccleſiam, & adæquantur Gentilibus*, ut dicit S. Cyprianus in Cap. *denique* 7. q. 1. Quod ipſum repetit Julius III. in Inſtructione circà petitiones Proteſtantium, quam dedit Internuncio ſuo ann. 1552., ac refert Raynaldus ad eum ann. n. 19. Jam verò quandonam Pontifices Romani, atque Epiſcopi exhorruerunt commercium, aut Colloquiorum, aut Epiſtolarum cum Gentilibus; ut eos ſibi, ac Fidei benevolos redderent? Audiendus Auguſt. Ep. olim 162. quæ inſcribitur Epiſcopis Donatiſtarum; quibus ſalutatis ſic incipit „ Di„ xit quidem Apoſtolus, Hæreticum ho„ minem poſt unam correptionem de„ vitâ, ſciens, quia ſubverſus eſt hujuſ„ modi & peccat, & eſt à ſeipſo dam„ natus. Sed qui Sententiam ſuam, quam„ vis falſam, atque perverſam nullâ per„ tinaci animoſitate defendunt: præſer„ tim, quam non audaciâ præſumptio„ nis ſuæ pepererunt, ſed à ſeductis, & „ in errorem lapſis parentibus accepe„ runt; quærunt autem cautâ ſollicitu„ dine veritatem, corrigi parati, cùm in-

„ venerint : nequaquam ſunt inter Hæ-
„ reticos deputandi. Tales ergo niſi vos
„ eſſe crederem, nullas fortaſsè Literas
„ mitterem." Animadvertas quæſo, & Donatiſtas Auguſtini tempore fuiſſe, qui ab ipſis incunabulis Hæreſim hauſerant, veluti à tot jam annis Lutherani, Calviniſtæ, aliique. Prætereà, ſi non ignaros quoſdam è Populo, ſed ipſos Donatiſtarum Epiſcopos, Glorium, Eleuſium, Felicem, Grammaticum, alioſque plures, putavit Auguſtinus vitio natalium ſeductos; ſollicitos autem eſſe de veritate inquirendâ, ſeſeque corrigendis : an non liceat hoc ipſum vel exiſtimare, vel ſuſpicari de Epiſcopis, Presbyteris, Paſtoribus, Prædicantibus, ſivè Hæreticis, ſivè Schiſmaticis noſtrorum temporum? Itaque quæ cauſa Auguſtino ſuberat, fovendi Epiſtolarum commercia cum Epiſcopis Donatiſtarum, eadem modò eſſet Romanæ Curiæ, ut quos memoravi Sectarios, vel per Epiſtolas, vel interpoſitam Amicorum operam non deſtitueret. Pergit Auguſtinus „ Quamquam & ip-
„ ſum Hæreticum, quâlibet odioſâ ſu-
„ perbiâ tumidum, & pervicaciâ malæ
„ intentionis inſanum; ſicut vitandum
„ monemus, ne infirmos, & parvulos fal-
„ lat : ità non abnuimus, quibuſcumque

„ modis poſſumus, corrigendum. Undè „ factum eſt, ut etiam ad nonnullos Donatiſtarum Primarios ſcriberemus ; „ non communicatorias Literas : quas „ jam olim propter ſuam perverſitatem „ ab unitate Catholicâ non accipiunt ; „ ſed tales privatas, qualibus nobis uti „ etiam ad Paganos licet : quas illi etſi „ aliquando legerunt, reſpondere tamen „ ſivè noluerunt, ſivè, ut magis credi„ tur, nequiverunt.

Liquet ex his, etiam illos ex Lutheranis, Calviniſtis, Anabaptiſtis, Schiſmaticis, quos certò ſciremus tumidos, & pervicaces, quibuſcumque modis fieri poſſet, demulcendos : ſivè enim ipſi ad Fidem venerint, ſivè minùs irati Catholicis ſint, eoſdemque cum Catholicis ſuis ritibus tolerent, id omne magnum erit Catholicæ Religionis lucrum, magna acceſſio. Quantùm patiantur Catholici homines in Turcarum Regionibus, ab odio Schiſmaticorum Græcorum, dici vix poteſt : quòd cùm inveteratum ſit, & longo Seculorum curſu inoleverit, hæreditariâ quâdam ſucceſſione, non niſi magnis Chriſtianæ charitatis, quæ omnia ſuffert, & ſuſtinet, ſignificationibus, poteſt, ſin minùs omninò, ſaltem aliquâ ex parte evelli, aut imminui. Scio Græ-

eorum Gentem, veterum laudum memoriâ glorioſiorem, inimico eſſe à Latinis animo; ſcio à Lutheri, Calvini, Zwinglii Sectatoribus jactata in nos maledicta: Hæc atque alia ſcio, ac doleo; At Charitas operit multitudinem peccatorum, cùm ejus Patris filii ſumus, qui pluit ſuper juſtos, & injuſtos.

Liquet ex eiſdem Auguſtini verbis, per Epiſtolas agi conſueviſſe ab Epiſcopis, cum Hæreticis, ac Paganis: nec valdè Auguſtinus curabat, quod illi parùm officiosè Epiſtolis non reſponderent: Ferebat hanc injuriam Epiſcopus Apoſtolorum Succeſſor; qui non ſua quærebat, ſed quæ Jeſu-Chriſti. Illa quoque alia ex Epiſt. olim 61. ad Honoratum Donatiſtam Epiſcopum me valdè movent: *dignare*, inquit, *reſcribere nobis.* Hâc nimirùm verborum lenitate, ac veluti deprecatione, ferocientem Donatiſtam emolliebat Auguſtinus, memor Magiſtri ſui Chriſti Jeſu, qui ad pedes proditoris abjecit ſeſe, ejus animam Patri, ſibique lucraturus; ſi per eum non ſtetiſſet: Nec dubito Auguſtinum eâ Dei, ac proximi charitate ſuccenſum, quâ omnibus omnia Apoſtolus olim fiebat, ut omnes Chriſto lucrifaceret: ſi, noſtrâ hâc ætate degeret, ſivè Pontifex, ſivè Cardinalis, ſivè Epiſ-

copus eſſet, daturum operam, ut Hæretici, Schiſmatici, Turcæ : ſeu Epiſtolis, ſeu Nunciis, ſeu aliis deliniti beneficiis, ſivè ad Fidem adducerentur, ſivè Religioni Catholicæ magis æqui ac benevoli fierent, ſacroſque ejus ritus majori, aut patientiâ, aut diſſimulatione in ſuis ditionibus tolerarent.

Proſequitur Auguſtinus eâd. Ep. 162. ad Epiſcopos Donatiſtas ſtatim poſt illa, quæ de Epiſtolis ſuis ad Hæreticos commemoraverat, Ubi, inquit „ Nobis ſatis
„ viſum eſt impleviſſe nos Officium cha-
„ ritatis, quam non ſolùm noſtris, ſed
„ & omnibus nos debere ſanctus Spiri-
„ tus docet; qui nobis ait per Apoſto-
„ lum, Vos autem Dominus multipli-
„ cet, & abundare faciat in charitate in
„ invicem, & in omnes. Monet etiam
„ alio loco, in modeſtiâ corripiendos di-
„ verſa ſentientes : ne fortè, inquit,
„ det illis Deus pœnitentiam ad cognoſ-
„ cendam veritatem, & reſipiſcant de
„ Diaboli laqueis captivati ab ipſo in ip-
„ ſius voluntatem.

Putat itaque Auguſtinus non ſolùm poſſe, ſed etiam debere Eccleſiam ſivè per Epiſtolas, ſivè quibuſcunque modis, laborare in Hæreticorum, aliorumque Infidelium ſalutem; quod nunquam nec

ex parte, neque ex toto fiet; donec Eccleſiæ Prælati, ſivè per ſe, ſivè per amicos, tùm verborum, librorumque, tùm etiam factorum dulcedine, ad benevolentiam Hæreticorum, Schiſmaticorum, Turcarum ſibi ac Romano Pontifici conciliandam, ſtrenuè non laboraverint.

Hæc prolocutus ſum, ſubdit Auguſtinus,, ne quis me exiſtimet impudentiùs
„ vobis (Donaſtis Epiſcopis) quàm pru-
„ dentiùs ſcripta miſiſſe, & hoc modo
„ vobiſcum de negotio animæ veſtræ ali-
„ quid agere voluiſſe, quia noſtræ com-
„ munionis non eſtis : cùm tamen ſi de
„ negocio fundi, aut alicujus pecunia-
„ riæ litis dirimendæ vobis aliquid ſcri-
„ berem, nemo fortaſsè reprehenderet.
„ Uſque adeò charus eſt hic mundus ho-
„ minibus, ut ſibimet ipſis viluerint. Erit
„ ergo mihi ad defenſionem teſtis hæc
„ Epiſtola in Judicio Dei, qui novit quo
„ animo fecerim, & qui dixit, Beati pa-
„ cifici, quoniam Filii Dei vocabuntur.

Hactenùs Auguſtinus; qui egregiam rationem indicat. Quid enim? Ubi negocium fundi, pecuniæ, belli, paciſque poſtulat; Chriſtiani Populi, ac Principes cum Hæreticis, Schiſmaticis, Turcis agant, Epiſtolas dent, ultrò citroque, Nuncios, ac Legatos mittant: contrà

verò Romani Pontifices, ac Prælati Eccleſiaſtici nihil tale audeant cum Angliæ, Daniæ, Boruſſiæ Regibus, cum Republicâ Batavicâ, Helveticâ, Genevenſi, cum Turcarum Imperatore? ut tantorum Principum animis manſueſcentibus, *verbum dulce*, ut eſt in Sacris Paginis, *multiplicet amicos*, & *mitiget inimicos*.

Hujuſmodi furoris Spiritum potiùs, quàm Charitatis zelum ignoravit Eccleſia per priora duodecim ſecula, integram Eccleſiaſticam Juriſdictionem adminiſtrante Seculari Clerò: donec Eccleſia Regularibus Inquiſitoribus, in Fidei negocio ſe regendam permiſit; quorum operâ factum eſt, ut non modò Catholicos in Hæreſim labentes averſaretur; ſed Populos ipſos, Regeſque ſui juris, omni prorsùs cum eis communicatione negociorum, atque officiorum intercisâ, pluſquam Publicanos, atque Ethnicos reputaret. Non enim Pontifices abnuunt ab Epiſtolis, ac Nunciis ad Ethnicos Principes dirigendis, quemadmodum olim Seculari Clero Chriſtianam Rempublicam moderante, cum Arrianis Principibus uſurpabatur: Idem autem, ac prætereà etiam alia prudentium judicio opportuna fient, ut ſperare licet, cum noſtri temporis Hæreticis, Schiſmaticis, Turcis, ſi amo-

tis Regularium præjudiciis, unà cum Regulari Dominicano Commiſſario, Fidei negocium per Secularem Clerum adminiſtrabitur. Tenaciſſimi ſunt Regulares ſuarum conſuetudinum, nec unquam Dominicani committent, donec in eo Tribunali locum præ aliis habebunt, ut in tam gravi re erraſſe deprehendantur; cùm primùm de novâ praxi invehendâ in S. Officii Congregatione diſcutietur, vix alium præ Dominicanis, acriùs repugnaturum ſuſpicor.

Accedit: deſcriptam praxim toto Cœlo ab hactenùs conſuetâ diverſam, non poſſe ad noſtrum morem, uſumque transferri: niſi Commiſſarium S. Officii circumſtent ſelectiſſimi viri ex omni gradu, ordine, & natione, quorum prudentia, & in publicis negociis gerendis peritia in conſilium adhibeatur. Hinc Alexander VII. ut in ejus vitâ teſtatur Continuator Ciacconii, idemque repetit Palatius in vitis Pontificum, ad Fidei negocia expedienda Cœtum virorum ex omni natione ſelectum, inſtituere meditabatur; neque enim, quæ ad exteras Gentes, ac Provincias pertinent, niſi ab externorum morum peritis tractari ſapienter, atque utiliter poſſunt. Jam verò fieri utique poteſt, Prælatum S. Officii Commiſſarium

conſilia exquirere, atque audire à Cœtu Conſultorum, Sæcularium, ac Regularium præcipuarum Nationum. At Dominicanum Commiſſarium plurimum tribuere Clero Sæculari, Regularibus aliorum Ordinum, exterarum Nationum Viris, næ ille Romanorum rerum minùs peritus eſt, qui ſibi hoc ſuaſerit.

Anno 1587. Sixtus V. in *Bullâ Immensâ æterni Dei*, conſtituit XV. Cardinalium Congregationes, inter quas numeratur Congregatio S. Officii jam erecta à PAULO III. Congregatio Indicis Librorum prohibitorum, aliæque: In declaratione facultatum adnexâ ad Bullæ finem n. 3. „ Et quoniam, inquit, Divinis Oraculis admonemur, ubi multa „ conſilia, ibi ſalutem adeſſe: eædem „ Congregationes, pro earum arbitrio „ Viros Sac. Theologiæ, Pontificii, „ Cæſareique Juris peritos, & rerum „ gerendarum uſu pollentes in Conſultationibus advocent, atque adhibeant, „ ut cauſis, quæſtionibus, & negociis „ quàm optimè diſcuſſis, quæ Dei gloriæ, animarumque ſaluti, & juſtitiæ, „ atque æquitati conſentanea maximè „ erunt, decernantur. " Ubi autem loquitur de ſeptimâ Congregatione, quæ eſt pro Indice Librorum prohibitorum,

hæc ſtatuit. „ Univerſitatum Pariſien. „ Bononien. Salmanticen. Lovanien. „ aliarumque probatarum ſtudia, ad Li„ brorum expurgationem , & corre„ ctionem excitent; earumque diligen„ tem operam , & induſtriam requi„ rant." Quæſo autem hoc loco, nùm S. Officii Commiſſarius, num Secretarius Indicis uterque Dominicanus, his Pontificiis votis obſecundaverit, an uterque potiùs Regnum ſibi, ſuoque Ordini ex impoſito munere conſtituerit, atque conſtabiliverit? Sanè Commiſſarius S. Officii ad uſque Innocentium XIII. non alios Conſultores Theologos adeſſe paſſus eſt ſecum, quàm ſocium ſuum Dominicanum Fratrem, denique Fratrum omnium Dominicanorum compendium; Magiſtrum ſcilicet Generalem Dominicanorum: vix uno ex externis admiſſo, Minoritâ Conventuali; cui de Poteſtatis plenitudine locum detulit Sixtus V. ex eodem Ordine: Ab Innocentio XIII. vix unus, aut alter ex aliis Regularibus inter Conſultores Theologos ſedet. Quid dicam de Congregatione Indicis? Cum Cardinalibus non niſi Dominicanus Secretarius, & alter Dominicanus, Magiſter Sac. Palatii in Aulâ ſedent. Qui nomine potiùs quàm re Conſultores Indicis dicuntur,

cuntur, ne advocantur quidem ad Sacram Indicis Congregationem, cùm in Quirinali Palatio habetur. Nullum fortaſsè ejus, quod dico, luculentius exemplum eſt; quàm in Magiſtro S. Palatii. Cùm S. Dominicus Aulicos otiantes in Pontificio Palatio animadverteret, ac doleret, Honorio III. Auctor fuit, ut eos Verbi Divini pabulo, ſtatis temporibus refici juberet: ac præcipuè cùm Cardinalium etiam Aulici, ad Pontificis Palatium accederent: id autem oneris ex Honorii III. voluntate ſuſcepit Sanctiſſimus Patriarcha; Apoſtoli Pauli Epiſtolas commentaturus, quod alii poſt ipſum ex eodem Ordine præſtitêre. Munus hoc Concionatoris, in *Magiſtrum Scholarum* Sac. Palatii excrevit: Hinc Durandus in Præfatione Commentariorum dicit, *ſe docuiſſe veritatem S. Scripturæ in Scholis S. Palatii*, in quibus alii etiam docebant, præcipuè ex Ordine Minorum eodem XIV. ſeculo, quo floruit Durandus. Vide Indicem Wadingi; multos invenies Franciſcanos, *S. Palatii Lectores.* Donec Dominicanus reliquos rejecit, ſuique muneris dignitatem uſque auxit, & amplificavit, tùm tempore Eugenii IV. ſeculo XV. cujus Pontificis Breve Apoſtolicum ad Turrecrematam legitur in Bul-

lario Dominicano, tùm adhuc uberiùs conſequentibus temporibus. Nam Silveſter Magiſter S. Palatii ſub Leone X. dixit ſe *Lutheri Judicem ex ipſo Officio*, & non ſolùm, quia ſimul cum Curiæ Romanæ Præſule delegatus à Pontifice fuerat. In eo enim libro quem inſcripſit Errata & Argumenta Lutheri *recitata*, *detecta*, *repulſa*, *& copioſiſſimè trita* Cap. XI. Hæc habet. „Quia Adverſarius à me Con-„ judice ex Commiſſione ſpeciali, & *aliàs* „ *etiam ex ipſo Officio appellavit*. Quòd ſi Lutheri Judex ex *Officio* erat, idem Juris in ſimilibus cauſis vindicare ſibi debuit, in alios cujuſcunque Regni in univerſo Orbe Catholico. Neque hactenùs ſatis: Eodem Leone X. Pontifice obtinuit Magiſter S. Palatii, ut ab ipſo in Lateranenſi Synodo ſtatueretur Librorum in Urbe imprimendorum Cenſor, & Approbator; unà cum Vicario Pontificis: quemadmodum extrà Urbem Inquiſitor cum Epiſcopo: cùm hæc autem ſpectent ad Ordinariam authoritatem Vicarii in Urbe, & Epiſcoporum extrà Urbem, magnum vulnus inflictum fuit Ordinariorum authoritati, decreto illis Socio Regulari in Librorum cenſurâ: Quare Tridentinum in Decreto de Librorum impreſſione, non niſi Ordinariis eam facultatem tribuit.

At Magiſter S. Palatii, quemadmodum & Inquiſitores, Decretum Leonis X. reſtitui curârunt in Promulgatione Indicis Librorum prohibitorum, quæ facta eſt per Pii IV. Bullam, abrogatâ Lege Tridentinâ. Neque his adhuc terminis ſteterunt Magiſtri S. Palatii: qui enim Vicario Urbis dati fuerant in Socios, quoniam Regnum non capit duos; jam ſoli regnant, & Librorum Cenſuram, facultatemque ad Libros Typis vulgandos ſibi arrogârunt: vel enim nullo pacto facultas petitur à Vicario Urbis, vel id ad ſpeciem fit, & fucum faciendum. Cùmque æquius eſſet, ut Frater Dominicanus ſcriberet. *Imprimatur*, ſi videbitur *Eminentiſſimo Vicario Urbis*, illud potiùs à Vicario, aut ejus Vices gerente ſcribitur hoc pacto *imprimatur*, *ſi videbitur Magiſtro S. Palatii*. Sanè nemo non videt; quàm indecorum ſit; ut etiam S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis librum aliquem typis editurus: non ab Eminentiſſimo Urbis Vicario, qui unum cumRomano Epiſcopo Tribunal habet; ſed à Fratre Dominicano facultatem, ac licentiam petat: obtentamque in impreſſo libro præ ſe ferat. Fac quidpiam hujuſmodi in antiquis Codicibus reperiri: Qui legeretur facultatem alteri dediſſe, is altero auctior,

atque eminentior dignitate, à quovis Critico antiquario judicaretur. Eò itaque rerum perventum eſt, ut magis, ac magis à tenuibus initiis amplificatâ dignitate, *Modicus lapis in montem excreverit*, atque in Librorum Cenſurâ, atque editione Frater Dominicanus, Romanos ipſos Præſules, ac Cardinales ſibi paulatim, Urbe, atque Orbe ſtupente, ſubjecerit. Reliquum eſſet, ut & Pontificem Romanum aliquâ ſibi ratione Dominicani ſubjicerent. Quod tentatum eſſe ſub Leone X. ex Bzovio Spondanus ad ann. 15. 16. n. 16. Abſoluto enim Lateranenſi Concilio, in quo Epiſcopi ad Regulares frænandos, plura petierant, nec impetraverant: Leo, ut & ad manum Regulares unitos haberet (Verba ſunt ipſius Bzovii per Spondanum relati) „ Qui Pontificum auctoritatem, & majeſtatem, „ ſeque ipſos etiam unanimiter adversùs „ Epiſcopos tuerentur; edito ſuper eâ „ re diplomate, Corpus quoddam, ſeu „ Congregationem Regularium in Urbe „ inſtituit, quorum Superiores ad Cœnobium Minervæ, quod eſt primarium „ in Urbe Fratrum Dominicanorum, „ toties quoties neceſſe haberent *in gravaminibus, etiam à ſummo Pontifice illatis vel inferendis, convenirent*, delibera-

„ rent, & in Commune decernerent :
„ præſidente cœtui Supremo Domini-
„ canorum Magiſtro , qui moderator
„ conſiliorum eſſet. " Ità Bzovius, Bullamque in Archivio Minervæ extare ait. His recitatis ſubdit Spondanus Epiſcopus „ Quod, ſi verum ſit , profectò ipſam quoque Sedem Apoſtolicam Leo
„ X. Regularibus obnoxiam , ſubjectamque voluit. Sed viderint Pon-
„ tifices, viderint Epiſcopi : Regulares
„ ſanè acerrimè vident & rebus ſuis
„ argutiſſimè provident. " Hactenùs Spondanus loc. cit. Cùm ergo conſueverint Regulares , ac Dominicani præcipuè dilatare in hunc modum *Fimbrias*, *& Philacteria ſua*, ecquis prudentior ſperare poteſt, quòd Dominicanus S. Officii Commiſſarius commutaturus ſit veterem agendi rationem, à Fratribus ſuis invectam ; atque ità ſe gerat, ut non ſibi, ſuoque Dominicano Ordini totus regnet, ſed plurimùm tribuat Cleri Secularis, aliorumque Regularium, atque exterorum virorum conſiliis ? Acutè in rem hanc perſpexit Alexander VII. qui acturus de Conceptione B. Mariæ in Congregatione S. Officii, Dominicanus Commiſſarius, aliique ejuſdem Ordinis Fratres, juſſit ne intereſſent : iiſque abſenti-

bus, in Conceptionis favorem Bullam edidit celeberrimam. Rem fusè narrat Strozzi in Hiſtoriâ Conceptionis; dignus proindè, qui per Dominicanos in Indicem Librorum vetitæ lectionis referretur. Utinam Alexandri VII. Succeſſoribus eadem ſalutis conſilia immittat Spiritus veritatis, qui Epiſcopos cum Sæculari Clero poſuit regere Eccleſiam Dei, Regulares autem SS. Benedicti, Dominici, Franciſci, Cajetani, Ignatii, poſuit ad Eccleſiæ *Subſidium*, *non ad Imperium*. At erit, qui dicat: Num tu ſapientior Patribus, qui poſterioribus quinque ſeculis extitêre, quique in Hæreticos, Schiſmaticos, Turcas; Concionatoribus Catholicis non auſcultantes; vix alio remedio, quàm aut bello, aut Cenſurarum ſeveritate uſi ſunt, quemadmodum auſtera, atque aſpera Inquiſitorum conſilia ſuadere conſueverunt? Imò verò, ſi quod judico, hoc à me facerem. Sed cùm ſeveritate Regularium Inquiſitorum unicè Cenſuris, Carceribus, vel etiam Bellis utentium; non modò Orientis Schiſmatici ad Eccleſiam non redierint: ſed tot Septentrionis Regiones abſciſſæ ſint à Romanæ Cathedræ unitate, nullâ ſpe per ſevera conſilia proficiendi: quid reſtat aliud, quàm ut ſuaviorem, & ſapien-

tiorem Cleri Sæcularis in Inquiſitionis negocio, adminiſtrationem experiamur? Cujus Cleri prudentiâ trahantur ad Chriſtum oves errantes in funiculis Charitatis, non inutili Cenſurarum, ac Comminationum ſtrepitu. Inutili, inquam, ſicubi agatur, non de ſubditis in officio continendis; quod unum præſtat Hiſpana Inquiſitio: ſed de liberis Populis, ac Principibus ab Hæreſi, & Schiſmate ad Fidei unitatem revocandis, quod munus eſt Romanæ, atque Univerſalis Inquiſitionis: ut *Fides Catholica ubique floreret, & augeretur; omnis Hæretica pravitas pelleretur, Seducti, ad gremium, & unitatem Eccleſiæ reducerentur*, inquit PAULUS III. in ſuâ Conſtitutione.

Cæterùm, quæ indicavi de importunâ in Liberos Populos ſeveritate non nova ſunt, imò vetuſtiſſima: quâ de re nonnulla dicam, cùm id mirificè faciat ad Dominicanum Commiſſarium, cum Sæculari Prælato commutandum. In editione Conciliorum Petri Crabbe Franciſcani, Opuſculum extat tripartitum Anonymi Auctoris, circà medium ſeculi XIII. Nam parte primâ Cap. XXIV. mentionem facit de Rege Aragonum auferente à Mauris Valentiam, & Regnum Majoricarum: de Rege Caſtellæ, auferente Re-

gnum, ac Civitatem Sibiliæ, ſivè Hiſpalis. Hæc autem contigêre ann. 1243. Scriptor autem de his meminit veluti de rebus novis.

Jam verò 2. part. agit de Græcorum Schiſmate, & cap. 1. Quærit, *quæ fuerit cauſa, & ſit adhuc Schiſmatis Græcorum*; inter alia hæc habet. „ Eccle-
„ ſia Romana in ſuis ſubditis multa
„ exercet, quæ homines reputant mul-
„ tùm gravia: ſicut ſunt exactiones ali-
„ quæ, Miſſio Legatorum, & Nuncio-
„ rum multorum, Statuta multa & pœ-
„ næ in tranſgreſſoribus (hæc gravia fuêre ſæculo XIII. ex facultatibus Regularium Inquiſitorum, quas interdùm non ſine ſævitiâ exercebant; quod oſtendunt poſteriora jura canonica, in corpore juris incluſa: ſub tit. de *Hæreticis*) „ Ipſi etiam Latini Domini ter-
„ reni ſolent in multis ſubditos gravare,
„ & duram in eis tyrannidem exercere.
„ Præterea ipſi etiam Latini inferiores
„ ſolent multùm contemnere Græcos,
„ & exaſperando eoſdem, modò vocan-
„ do eos canes, modò trahentes eos per
„ barbam, & aliis modis variis exaſpe-
„ rantes eoſdem. Et ideò poſſibile fuit,
„ quòd Græci, *propter gravamina Eccleſiæ*
„ *Romanæ, & Dominorum Latinorum*, &

„ ipſorum Latinorum Inferiorum, diſpo-
„ ſiti fuerint ad refugiendam ſubjectio-
„ nem Latinorum, tam in temporalibus,
„ quàm in ſpiritualibus. Nec mirum: du-
„ ritia enim Roboam, quam Filiis Iſraël
„ minabatur, dicens: Pater meus cecidit
„ vos flagellis, ego cedam vos Scorpio-
„ nibus; Induxit decem tribus ad ſub-
„ trahendum ſe ab ejus imperio... Et ſic
„ patet, quòd varietas ex parte utro-
„ rumque (in ritibus) & exaſperatio ex
„ parte Latinorum, ſuperbia ex parte
„ Græcorum, fuerint diſpoſitiones ad il-
„ lud Schiſma..... Multa ſunt, propter
„ quæ Schiſma iſtud durat, & non acci-
„ pit finem: unum eſt diſpoſitio ſuprà
„ dicta, quæ adhuc durat: ſecundum eſt
„ conſuetudo.... Quartum eſt *defectus*
„ *tractatorum*: Etſi enim aliquando mit-
„ tit Eccleſia Romana aliquos ad tra-
„ ctandum cum eis, vel ipſi ad Papam
„ eâdem de causâ: tamen rarò ſit hoc,
„ & quod incipitur, vix perducitur ad
„ finem.

Capite XIII. Exponit Auctor malum hujus Schiſmatis. „ Grandis, inquit, &
„ turpis detruncatio, quòd Corpus Ec-
„ cleſiæ unicum; quod ſolebat extendi
„ uſque in Orientem, ſic detruncatum
„ eſt per ſchiſma: quod omnes ferè, qui

„ ſubeſſe ſolent Patriarchæ Conſtanti-
„ nopolitano, & Antiocheno, & Ale-
„ xandrino, & etiam Hieroſolymitano,
„ ſint ab iſto corpore præſciſi : ità ut
„ vix medietas ſui corporis remanſerit
„ Eccleſiæ.

Cap. XV. Agit, *Quanta cura apponenda ſit à Latinis, ut Græci Latinis reconcilientur*, hæc inter alia ſequuntur.
„ Notandum quòd ſint multi Latini,
„ qui licèt non dent occaſionem huic
„ ſcandalo, tamen cùm parum, vel ni-
„ hil curent de malo ſtatu Græcorum ;
„ iſti ſunt ſicut Sacerdos, & Levita,
„ qui videntes fratrem ſuum vulnera-
„ tum in viâ, pertranſierunt, nihil de illo
„ curantes.

Capite XVI. *Quòd hæc cura maximè incumbit Pontifici ſummo, ſcilicet Romano.* „ Chriſtus, inquit, deſcendit de
„ Cœlo, ut faceret utraque unum ; ſci-
„ licet Judæos, & Gentiles ; unum
„ ovile de his, & de illis : & ideò
„ non deberet renuere Vicarius ejus, ſi
„ ſit neceſſe, deſcendere etiam in Græ-
„ ciam, ſi ſpes eſſet, quòd per hoc poſ-
„ ſet Græcos & Latinos unire.

Capite XVII. Enumerat remedia ad reconciliationem Schiſmaticorum : Ac poſt aliqua remedia Librorum, &c.

„ Aliud, inquit, eſt frequens Miſſio ſo-
„ lemnium Nunciorum, exemplo Domi-
„ ni : qui Prophetas magnos ſæpè miſit
„ ad Filios Iſraël.... Probabile enim vi-
„ detur, quòd Eccleſia Romana, ſi mi-
„ ſiſſet frequentiùs Nuncios ſolemnes,
„ viros virtutum, & prudentes, cum ſan-
„ ctitate & familiâ honeſtiſſimâ; quæ
„ in omnibus ſe ſciret habere prudenter:
„ & locuti fuiſſent de pace, & à Græ-
„ cis nihil reciperent, ſed propriis ex-
„ penſis uterentur.... quòd non fuiſſent
„ iſta ſine fructu.... Quare autem Ro-
„ mana Eccleſia, etſi quandoquè miſe-
„ rit ſimplices Nuncios, hujuſmodi au-
„ tem Nuncios non miſerit, neſcio : Si
„ dicatur, quòd eſſent ſuperbiores, fortè
„ ex hâc Latinâ humilitate eorum ſuper-
„ bia frangeretur?

Aliud eſt Miſſio Exploratorum, nempè
„ ut explicat, Mercatorum, Negociato-
„ rum, &c. qui animos, velut aliud
„ agendo, conciliarent.

Aliud, inquit, eſt exhibitio Reveren-
tiæ ad eorum Nuncios.

Aliud eſt attractio aliquorum ſapien-
tium Græcorum ad amorem, moram,
& cohabitationem cum Latinis.

Aliud eſt ceſſatio Latinorum, à ſcan-
dalizando eos.

Aliud eſt charitativa obſequia, & ſervitia ad Græcorum Magnates.

Aliud eſt depoſitio diffidentiæ, quam habent Latini de reverſione Græcorum.
„ Pluribus quoque inculcat, ſi reverti
„ vellent, relinquendos ritibus ſuis, nec
„ multitudine Pontificiarum Legum op-
„ primendos.

Vides, Lector, ſenſum virorum ſapientiſſimorum ſæculo XIII.; cùm nondum radices ſuas altiùs defixerat ſeveritas Regularium Inquiſitorum, unicè ad cenſuras, & carceres intenta: cùm adhuc deletæ non eſſent reliquiæ gubernationis per Clerum Sæcularem XII. ferè Seculis uſurpatæ: quo tempore illud Auguſtini vigebat Epiſt. olim 64. „ Non ergo aſperè,
„ quantum exiſtimo, non duriter, non
„ modo imperioſo iſta tollantur: tollan-
„ tur magis docendo, quàm jubendo;
„ magis monendo, quàm minando: ſic
„ enim agendum eſt cum multitudine
„ peccantium; ſeveritas autem exercenda
„ eſt in peccata paucorum. Et ſi quid
„ minamur, cum dolore fiat, de Scrip-
„ turis comminando vindictam futu-
„ ram; ne nos ipſi in noſtrâ poteſtate,
„ ſed Deus in noſtro ſermone timea-
tur. Cùm tamen Regulares in ſuâ poteſtate, ſi quando eam habent, timeri

velint. Cùm autem noſtro Seculo non Græci ſolùm, ſed tot Septentrionis Populi, ac Principes à Catholicâ unitate divulſi ſint; ſimilia uſurpari deberent in eorum procurando ſalutem. An id expectari à Dominicano Commiſſario poſſit; & ea teſtantur, quæ pluribus dixi, & id confirmat quod jam refero. Anno 1580. ex Helvetiis Hæreticis Legatus ad Gubernatorem Mediolanenſem pervenit, qui nonnulla quereretur, de aliquibus legibus per S. Carolum Boromæum conſtitutis, ad ſpirituale regimen Pagorum quorumdam, quorum civile imperium Hæretici ſibi vindicant. Legati adventus ad Inquiſitoris Dominicani aures pervenit; quid autem putabis conſilii cepiſſe? Rem quam maximè vis abſonam cogita, vincet expectationem imprudentis Dominicani auſteritas. Præſtò eſt ad Legati Domum Inquiſitor, eumque in vincula conjectum, ad Inquiſitionis carceres adduxit. Factum deteſtatus Gubernator Mediolanenſis, dimiſſionem Inquiſitori ſtatim imperat: id autem volens nolens executus eſt, magno Cardinalis Borromei bono; quem Helveti pari jure utentes, in carcerem conjeciſſent; ut jus Gentium cæſum ulciſcerentur. Quid iis hominibus facias, qui nihil aliud ſonant, quàm Cenſuras, & car-

ceres? Nempè rem liberis Populis, ſuique juris inutilem: iis autem qui ſub Eccleſiæ, aut Catholicorum Principum jure ſunt, in officio continendis; utilem, ſanè ſi prudenter, ac temperanter fiat: at certè non præcipuam. Recole Auguſtini verba, qui ſanè de Catholicis coërcendis loquebatur: Quantò magis, ubi de Græcis agitur, vel convertendis, vel mitigandis, qui odio implacabili ardent in Latinos: tùm quòd Orientis Dominium affectaverint per Latinos Imperatores; tùm quòd Romani Pontifices nimiùm, ut ipſis quidem videtur, dominari voluerint in Græcos, ſuprà veterum Canonum præſcripta, & additione Simbolo factâ, abſque Patriarcharum conſenſu: & plurimis Legibus, ac Statutis præter eorum mores evulgatis. Quantò magis, ubi agitur de Anglis, Batavis, aliiſque Septentrionalibus Nationibus, quæ de ſeveriori Romanæ Poteſtatis uſu conqueſtæ ſunt, & adhuc paſſim conqueruntur?

At, inquies, hæc ſunt Congregationis de Propagandâ Fide. Imò ſi PAULUM III. audiamus, in Proœmio Conſtitutionis *Licet ab initio* 1542. Hæc ſpectârunt in excitandâ Romanâ Inquiſitione; ut avulſæ à Catholicâ unitate Gentes ad Eccleſiam revocentur: Verba jam

recitavi. Deindè cùm Romana Inquiſitio, præcipuum in fidei negocio Tribunal, Romæ habeatur, & ſit: fieri numquam poterit, ut dum Inquiſitionis Congregatio hanc, non modò ab Hæreſi, & Schiſmate, ſed ab ipſis Hæreticis, ac Schiſmaticis Populis averſionem fovet, veterem cum iis de perditis ovibus ſimultatem conſervat aut etiam auget, Pontificibus, Cardinalibus, Prælatis, Catholicis, omnem ab illis conſuetudinem Nunciorum, atque Epiſtolarum intercipit, veluti Religionis fundamentum: reliquæ Romanæ Congregationes, aut earum aliquæ novam praxim inducant. Quare illud ſatis ſibi eſſe putat Congregatio de Propagandâ Fide, ſi & Catholicis inter Hæreticos degentibus conſulat; & ad Ethnicos ad fidem convertendos incumbat.

Utinam omnes legant allocutionem Benedicti XIV. in Conſiſtorio Secreto die 20. Nov. 1747. publicis typis vulgatam, de negocio Templi Berolinenſis: quæ Magnus Pontifex honorificentiſſimè dicit de Brandeburgenſi Familiâ, ac Boruſſiæ Rege; non ſine grati animi ſignificatione amantiſſimâ, pro optimo Clariſſimi Principis, in rem Catholicam ſtudio, ac munificentiâ. Ea omnia egregio monumento oſtendunt, quàm diverſimodè loquantur

Pontifices; dum Inquiſitionis Fratres ſeveritatem Decretorum ſuorum inſuſurrant; ſecùs atque Sæcularis Cleri Principes, Præſules, aut Cardinales, ſemotis Fratribus, adſtant Chriſti Vicario, majori ſapientiâ, ac prudentiâ conſiliaturi: ex quo magna ſpes eſſet eorum odiorum extinguendorum, quibus potiùs quàm argumentorum diſſenſionibus, foventur Eccleſiarum diſſidia.

Anno 1718. contra D. de Mailly Archiepiſcopum Rhemenſem, 19. Martii vulgatum Pariſiis fuit Decretum Parlamenti, ex cauſa Conſtitutionis *Unigenitus*, quam Archiepiſcopus ſtrenuè propugnabat. Decretum hoc ad Clementem XI. pervenit, indè etiam ad manus Epiſcopi Laffiteau, qui tunc Romæ Gallica negocia agebat. Hic autem, uti teſtatur L. 4. Hiſtor. de Conſtit. Unigen., ad calcem ejus Decreti hanc additionem, neſcio cujus manu Pariſiis factam, ſuiſmet oculis vidit; quam Latinam exhibeo. *Noli, Rhemenſis Epiſcope propugnare arrogantiam, & avaritiam Curiæ Romanæ, quæ cauſa fuit, ut Europæ dimidium ab Eccleſiâ Romanâ ſepararetur.* Hæc ibi: quæ in Anecdotis fuſiùs explicantur. At ſanè injuriâ. Veriùs dixeris hæc contigiſſe non Curiæ Romanæ, ſed

fra-

fratrum nonnullorum dominatione ac tyrannide, cùm proprium ipſorum fuiſſet, non dominari, ſed prædicare Evangelium omni Creaturæ.

CAPUT IX.

Pravis moribus extirpandis non admodum conſentanea eſt Praxis, quâ in Romanâ Inquiſitione hactenus uſi ſunt Regulares: Meliora ex alia Cleri ſecularis Praxi ſperari poſſe. Hæc dici ex odio in Regulares, nemo jure criminabitur.

NOn Hæreſeos Crimen tantummodo extirpandum ſibi propoſuit Romana Inquiſitio; ſed alia præterea graviora quædam Crimina, ſive Blaſphemiarum, ſive Sollicitationum occaſione Sacramenti Penitentiæ, ſive aliorum; quæ ſuâ gravitate ſuſpicionem de Hæreſi faciunt. His morum pravitatibus extirpandis, haud ſatis ſeſe idoneos probârunt Dominicani Fratres duobus hiſce Seculis, ex quorum ordine Inquiſitionis Romanæ Commiſſarius Ge-

neralis, nempè primarius Adminiſter electus fuit. Longè meliora ex Clero Seculari expectare licet, quantum conjicere poſſumus ex experientiâ præteritorum, unum tantum affero rei hujus argumentum.

Quotieſcumque ſive Laici, ſive Clerici, ſivè Regulares apud Inquiſitionem accuſantur de aliquo crimine, hoc in more poſitum habet Dominicanus Commiſſarius, ut interim omnino taceat, ſcelera ſceleribus cumulari ſinat, accuſationes accuſationibus, quibus Proceſſus, ut aiunt, informativus contexitur; donec in profundum malorum venerit Reus ſibi, ac ſæpe etiam aliis nocentiſſimus, plurium annorum ſpatio; tum verò Proceſſu informativo confecto, Dominicanus Frater, *Sagittans in obſcuro, & mordens in ſilentio Reum comprehendit*, in Cacerem conjicit, perpetuâ nominis infamiâ mulctat, Nobilem etiam aut Eccleſiaſticum, aut Regularem Virum: cui æquo rerum æſtimatori non videatur, Dominicanus Commiſſarius, hoc eſſe Chriſti fidelibus quod muſcis clanculum irretiendis araneus? quod capiendis ſoricibus aſtutus Felis? memini quæ decimo Libro ſcribit Plinius: *Feles quo ſilentio, quàm levibus veſtigis, quàm multo ſpeculatu in muſculos*

exiliunt ! ſi iſte eſt omnis fructus, ut auferatur peccatum teſte Prophetâ : quantò illud Charitatis ac Juſtitiæ Legibus congruentius, ut ad primam accuſationem, aut denunciationem, ovis errans ad Chriſtum ſuum revocetur, vel vocis, vel tenui virgæ ſibilo ? Scio expectandas firmas, atque inexpugnabiles probationes, ut ad vincula, & carceres deveniatur. Si autem primâ quâque accuſatione intentatâ reus moneatur confeſtim, ſive hortatoriâ Epiſtolâ, ſive privatâ monitione per prudentem Virum ex præſcripto Inquiſitionis factâ, ſive privatâ aliquâ ſalutari pœnâ irrogatâ, nullo ſtrepitu, nullâ infamiâ, quotus quiſque erit, qui iraſci poſſit, aut velit ? Michaëlis de Molinos informativus, ut aiunt, proceſſus decem vel etiam quatuordecim annorum labor, & opus fuit : niſi me egregii viri fefellêre, quàm multas errorum, ac turpiſſimarum libidinum ſordes impediviſſet Dominicanus Commiſſarius, ſi à primâ ſtatim denunciatione Apoſtoli monito uſus fuiſſet. *Argue*, *obſecra*, *increpa*, *opportunè*, *importunè*, vel etiam Confeſſionum excipiendarum facultatem privato decreto abſtuliſſet ? Quàm multis utriuſque ſexûs ſcandalo fuit noſtrâ ætate Regularis quidam, qui Piſauri errores ſuos pu-

blicè agnovit, atque abjuravit! an non ſatius fuiſſet Commiſſarium Dominicanum tantam malorum, ac ſcandalorum colluviem tot annis non pati; atque ab ipſis initiis præcavere? mitto ſexcenta ejus generis exempla. Hinc tantum odiorum in ſanctiſſimum Inquiſitionis Tribunal, quod malevoli dictitant *ſitire malorum vindictam, non emendationem*: Non ſcelera odiſſe, quæ ab initiis impedire facilè poſſet: ſed in pœnas, ſupplicia, carceris infamiam inhiare; nullum tot incommodis præſentius remedium, quàm ut Inquiſitionis regimen à Regulari Commiſſario amotum, conferatur in Clericos Seculares, quorum nutu, donec jus Eccleſiaſticum ſtetit, nunquam ad hujuſmodi praxes inhorruit Eccleſia priorum XII. Seculorum.

Miſſas facio alias praxes per Fratres Regulares hujus Tribunalis Adminiſtros invectas, quæ tam ineptæ ſunt moribus reformandis, quàm aptiſſimæ odiis in ſanctum Tribunal conciliandis, ob magnam contrarietatis ſpeciem, cum Juſtitiæ aut charitatis legibus.

10. Cùm Inquiſitio Hiſpanica poſt latam in reos ſententiam copiam omnibus det judiciales proceſſus, atque acta luſtrandi, ac videndi: aliam Conſuetudinem tenent

Romani Dominicani. Nemo autem eſt qui non videat, quàm ſit magis æquitati conſona praxis Cleri Secularis in Inquiſitione Hiſpanicâ. Unuſquiſque enim certior fieri poteſt de juſtitiâ ſervatâ in actis conficiendis, ſi quis innocens deprehenſus ſit, innoteſcit; reatuum inæqualitas declaratur. Contra verò ſecundùm Romanam, hoc eſt Dominicanam Conſuetudinem, Rei criminum maximè inæqualium eâdem infamiâ publicâ notantur: Quare ſi contingat aliquem ab Inquiſitione Romanâ comprehendi, qui irreverenter locutus ſit in S. Officium, aut quia malè aliquem excuſaverit ab onere denunciandi, infamis eſt; ſicuti quis patraverit turpiſſima Crimina ſollicitationis, neque publicè ſciri poteſt eum immunem à turpi, & inhoneſto crimine, imo de ipſo turpiſſima quæque ſuſpicari poſſumus: Si enim pro qualitate, ac numero criminum debet eſſe plagarum modus; quare non etiam inæqualis debet eſſe modus infamiæ, quarè minus reus confundi debet cum ſceleratiſſimo?

2º. Reis datur ſupplicium quod maximè, ne dicam præcipuè in innocentes redundat. Fac enim comprehendi per Dominicanam Inquiſitionem, vel Regularem aliquem, vel alium ex iis Congregationibus, aut Cœtibus; qui vivendi modum in

communi profitentur; vel etiam Monialem. Maxima omnium quæ per S. Officii Tribunal infliguntur, pœna eſt infamia, quæ ex eo creſcit quòd ignoretur in ſpecie crimen, & liceat quodcumque turpiſſimum ſuſpicari. Aliæ enim pœnæ præter infamiam longè mitiſſimæ in Inquiſitione ſunt. Rogo autem quem afficit præcipuè pœna hæc? ſcilicet reliquum Cœtum innocentem; qui ludibriis ac dicteriis exponitur. Hoc enim eſt hominum ingenium, ut ab uno Regulari, aut Moniali reliquos æſtiment. Contra verò Juſtitiæ leges hoc poſtularent, ut ſupplicii modus excogitetur, qui totus in Reum feratur, eumque gravet. Ac facillimum eſſet id reperire; ſed parum hoc tangit eos Fratres, qui cæteros judicant, ipſi autem à nemine judicantur. Iniquitas autem hujus pœnæ, quæ potiſſimè innocentes afficit, eo clariùs eluceſcit ex nimiâ quandoque benignitate in temperandâ pœnâ, quæ Reum afficit. Si enim Curatus Presbyter poſt carcerem S. Romani Officii dimittatur, privari Curato Beneficio non ſolet, ſed tantùm facultate Confeſſiones excipiendi, quas Vicario committit: Adeò pii ſunt & benigni in iis in quibus non deberent Dominicani Inquiſitionis Adminiſtri. Vide mon-

ſtrum, & abſonam diſciplinam, Qui propter crimina caret facultate Pœnitentes auſcultandi, ac publicè infamis eſt; ille ipſe ad Euchariſtiam miniſtrandam, Viaticum, Oleum ſanctum, Baptiſma, Catecheſim, & Conciones admittitur.

Erit qui ſuſpicetur me iniquo eſſe animo in Regulares. Verùm id à veritate alienum quam maximè eſſe ſcit, qui *ſcrutatur renes, & corda, occultorum Cognitor Deus*: Magnis fuêre atque adeò ſunt in Eccleſia meritis Regulares, atque longè majoribus fuiſſent, atque eſſent; ſi in eâ vocatione, in quâ vocati erant, permanſiſſent obediendo, non imperando. Quicunque ipſorum ad dignitates, ſive Inquiſitoratuum, ſive Epiſcopatuum, & alias quaſlibet evecti, ſanctitatem morum in iis conſtituti coluêre: nihilo inferiorem coluiſſent ſub Regulari humilitate: quicunque autem dignitate ac poteſtate aucti, mores ſuos ambitione, luxu, avaritiâ, aliiſque ſordibus infecerunt, longè facilius ſub obedientiæ ſalutari jugo, tum dignitate poteſtatis, tum ſimul etiam vitiis caruiſſent. Quamquam, ſivè boni illi fuerint, ſivè mali, qui ad Clericales honores, ac dignitates evecti ſunt, magnum Regularibus ſuis Ordinibus detrimentum intulêre, cùm ambitio cupiditatis æſtum in clau-

ſtro excitavit, ac quæcumque ex Ambitione in Religioſis Viris perniciosiſſima mala proficiſcuntur. Hæc quidem, ſi rationi auſcultemus, compertiſſima ſunt. Accedit autem graviſſima auctoritas SS. Dominici, atque Franciſci. In Urbe Romanâ, ait S. Antoninus 3. part. tit. 24. de S. Franciſco Cap. 2. § 2. „ Cùm illa duo
„ Luminaria orbis eſſent B. Dominicus,
„ & B. Franciſcus coram D. Cardinale
„ Oſtienſe, qui, poſtea fuit Papa (Gre-
„ gorius IX] Cur, inquit, non faci-
„ mus de Fratribus veſtris Epiſcopos,
„ & præclaros, qui documento, &
„ exemplo cæteris prævalent.... Dixit
„ B. Dominicus: Domine, gradu bono
„ ſublimati ſunt fratres mei, ſi re-
„ cognoſcunt: nec pro meo poſſe per-
„ mittam, ut aliud aſſequantur ſpeci-
„ men dignitatis" Quibus verbis rejecit à ſuis fratribus non modò Cardinalatûs, atque Epiſcopatûs, ſed Inquiſitoratûs etiam, quales modò ſunt, Judicii, atque Eccleſiaſticæ juriſdictionis ampliſſima nomina. Quod enim Inquiſitoris munus S. Dominicus, aliique primi exercebant concionando, atque inquirendo ſeu Hæreticos detegendo, illud ego non modò à Regularibus non rejicio, ſed ab iis exerceri vehementer exopto. Animadverten-

dum diligenter eſt in ea verba. *Nec pro meo poſſe permittam* : quibus indicium fecit Sanctiſſimus Patriarcha, ſi in ejus poteſtate fuiſſet, ſe de hoc, vel Bullam Apoſtolicam impetraturum. Pergit S. Antoninus. „ Poſt eum B. Franciſcus reſ- „ pondens, inquit, Domine: Minores „ ideò facti ſunt Fratres mei, ut majo- „ res fieri non præſumant." Majores, inquit, quod ſanè accedit, ſi Cardinales, ſi Epiſcopi, ſi Inquiſitores fieri præſumant: Hæc non tantùm ex S. Antonino, ſed ex Chronicis utriuſque Ordinis conſtant.

Sanctiſſimos Patriarchas non ſine divino ſpiritu iſta pronunciaſſe teſtata eſt experientia ab ipſis initiis utriuſque Ordinis. Cùm enim Romani Pontifices fidem non præſtarent SS. Dominico, atque Franciſco: cùm plurimos utriuſque Ordinis ad Epiſcopatus tollerent; aliis magnam partem Epiſcopalis autoritatis conferrent; eos deligendo in Inquiſitores: magnam ambitionis labem, aliorumque vitiorum uterque ordo perſenſit. „ Cùm Magiſter Jordanes primus Gene- „ ralis Ordinis poſt S. Dominicum, ve- „ niſſet aliquando ad quorumdam mag- „ norum Epiſcoporum Conventum. Verba ſunt S. Antonini part. 3. tit. 13. cap.

„ 9. §. 5. & quærerent, quomodo Epiſ-
„ copi, qui de tantis Ordinibus aſſume-
„ bantur in Epiſcopatibus, minùs benè ſe
„ habebant (id ipſum noſtris quoque
temporibus evenire in Epiſcopis etiam,
qui ex Capucinis aſſumuntur, ſcit Sac.
Congregatio Epiſcoporum, ac Regula-
rium) „ hoc inquit B. Jordanes, vobis im-
„ putate, quamdiu enim de noſtro fue-
„ runt Ordine, nos benè correximus
„ eos, ſed hæc diſſolutio, quam eis im-
„ ponitis de ordine veſtro accidit eis. "
Totius Concilii Lugdunenſis II. ann.
1274., cui mille ex Prælatis partim ma-
joribus, partim minoribus interfuêre,
querelas, ac clamores incredibiles contra
Dominicanos, ac Franciſcanos enarrant
Chronica Dominicana Ferdinandi del Ca-
ſtiglio : quibus ſuffragantur, quæ ſcri-
bit Matthæus Paris, qui anno 1259. obiit,
& ad annum 1243. in Hiſtoriâ Anglicanâ
ſui Seculi. „ Quod, inquit, terribile eſt,
„ & in triſte præſagium per 300. annos,
„ vel 400. vel ampliùs ; ordo Mona-
„ ſticus tam feſtinanter non cœpit præ-
„ cipitium, ſicut eorum Prædicatorum
„ ac Minorum Ordo : quorum Fratres,
„ jam vix tranſactis viginti quatuor annis,
„ primas in Angliâ conſtruxêre manſio-
„ nes, quarum ædificia jamjam in Re-

„ gales conſurgunt altitudines. Hi jam
„ ſunt, qui in ſumptuoſis, & diatim
„ ampliatis ædificiis, & cellis muralibus,
„ theſauros exponunt impreciabiles, pau-
„ pertatis limites, & baſim ſuæ profeſ-
„ ſionis juxtà Prophetiam Hildegardis
„ Alemannicæ imprudenter tranſgredien-
„ tes, morituris Magnatibus, & diviti-
„ bus quos norunt pecuniis abundare,
„ diligenter inſiſtunt, non ſine Ordina-
„ riorum injuriis, & jacturis; ut emo-
„ lumentis inhient, confeſſiones extor-
„ queant, & occulta teſtamenta, ſe ſuum-
„ que Ordinem ſolùm commendantes, &
„ omnibus aliis præponentes. Undè nul-
„ lus Fidelis, niſi Prædicatorum, aut
„ Minorum regatur conſiliis, jam cre-
„ det ſalvari. In acquirendis privilegiis
„ ſolliciti, in Curiis Regum, Potentum
„ Conſiliarii, & Cubicularii, & The-
„ ſaurarii, Paranymphi, & nuptiarum
„ præloquutores, Papalium extorſio-
„ num executores, in prædicationibus
„ ſuis, vel Adulatores, vel Mordaciſſi-
„ mi reprehenſores, vel confeſſionum
„ detectores, vel incauti redargutores.
„ Ordines quoque authenticos, & à SS.
„ Patribus inſtitutos videlicet à S. Be-
„ nedicto, & Auguſtino, & eorum Pro-
„ feſſores (Benedictinos, & Canonicos

„ Regulares) contemnentes..... ſuum „ Ordinem aliis proponunt.... Rudes „ reputant & ſimplices , & Semilaicos, „ vel potiùs ruſticos Ciſtercienſes Mo„ nachos ; Benedictinos verò reputant ſu„ perbos , & Epicuros. " Non itaque mirandum eſt de querelis , & clamoribus mille Prælatorum paulò poſt in Lugdunenſi Concilio. Apologiæ SS. Thomæ, ac Bonaventuræ , quæ per ea tempora ſunt vulgatæ , vindicant quidem ſanctitatem utriuſque Inſtituti Mendicantium, contra Guillelmum à S. Amore alioſque : non tamen negant plurimos fuiſſe ex utroque Ordine , quales Matthæus Paris deſcripſit , & Prælati Lugdunenſes querebantur ; quamvis etiam plurimi eſſent paupertatis atque humilitatis acerrimi Sectatores. Seculo XIV. omnia in pejus prolapſa , potiùs quàm reſtituta. Ipſe Wadingus ad annum 1334. à nemine Pontificum tot Minoritas electos fuiſſe ad Infulas narrat , quàm ab Joanne XXII. ; attamen ſub nullo alio Pontifice miſeriorem fuiſſe ejus Ordinis ſtatum , vel ipſius Annales Wadingi teſtantur. Nec minora in aliis Regularibus mala refert eorum temporum Scriptor inſignis Alvarus, de *planctu Eccleſiæ*. Quo in loco ſilendum non eſt de Cardinali de Albertinis Pra-

tenſi; eodemque Dominicano. Ejus dolos, & callida Conſilia in electione Clementis V. ad Genium Regis Galliarum fuſiùs deſcribit S. Antoninus in Clemente V., qui erat Archiepiſcopus Burdigalenſis. Hinc ſequuta eſt tranſlatio Romanæ Sedis in Galliam annis 70. Indè magnum Schiſma Urbani VI., quod ità ſus, deque vertit Eccleſiam; ut malorum graviſſimorum reliquiæ, neque per Conſtantienſe Concilium, ac Florentinum deletæ ſint: & vix magnis Eccleſiæ malis aliquâ ex parte in Tridentino conſultum ſit. Jure igitur Cardinalis Matthæus de Urſinis, ſe, alioſque, à Cardinali Pratenſi deceptos ſentiens, his eum verbis redarguit. *Aſſecutus es voluntatem tuam in ducendo Curiam ultra montes, ſed tardè revertetur in Italiam.* Factum hoc Pratenſis Cardinalis Dominicani, adeò infauſtum, ac noxium Eccleſiæ fuit, ſi quæ conſequuta ſunt attendas, ut quidquid boni per Regulares Cardinales Dominicanos in Eccleſiam derivatum ſit, uno illo malo in immenſum vincatur.

Dignitatum, honorumque cumulus, cum Epiſcopalis autoritatis imminutione, Regularibus mendicantibus collatus, quàm infeliciter ceſſerit tum ipſis Ordinibus, tum Eccleſiæ confirmat Con-

cilium Viennenſe ſub Clem. V. Ejuſdemque Concilii querelæ, tum in Dominicanos, ac Franciſcanos, tum etiam Inquiſitores. Leguntur hæc in Clementinis; Ut autem aliquid de ſæculo XV. proponam, ſatis erit recitare Verba S. Antonini 3. p. tit. 13. c. 4. §. 12. quo in loco cùm pluribus laudaſſet ſanctitatem primorum Patrum Ordinis S. Dominici, hæc ſubdit. " Quid diceret Pater ſan-
,, ctus, ſi nunc attenderet ad Eccleſiam,
,, & Domos, & Cellas Fratrum am-
,, pliatas, teſtitudinatas, in cœlum ele-
,, vatas, in ſculpturis, & picturis curio-
,, ſiſſimè ornatas, in paramentis aureis,
,, & purpureis copioſas ſuper Cathe-
,, drales Eccleſias, in veſtibus Fratrum,
,, in lectis eorum, pompas Domorum
,, excedentes, nec ab eſu carnium ab-
,, ſtinentes, cùm ſani ſint ac robuſti,
,, nec jejunia non ſolùm Ordinis, ſed nec
,, Eccleſiæ ſervantes, non ſolùm in
,, communi, ſed in ſingulari poſſeſſio-
,, nes, & reditus habentes; non ex diſ-
,, penſatione ſed ex diſſipatione Prælato-
,, rum: non ſtudiis vacantes, ſed viſitatio-
,, nibus Monaſteriorum, ut de *cæteris ta-*
,, *ceamus*. At, ſi qui literis intendant, non
,, ſaluti animarum inde conſulere af-
,, fectantes, ſed ut vocentur ab homi-

„ nibus Rabbi (Hunc nempe finem
„ ſibi Regulares proponunt, dum ſibi
„ finem in Epiſcopatibus, vel Inquiſi-
„ toriatibus præſtituunt) ut exemptio-
„ nibus gaudeant, quæ utinam non ſint
„ tales, ut à patriâ etiam ſupernâ exi-
„ mant, & excludant. Quid Pater Sancte
„ diceres de his? Niſi quia hic non eſt
„ Ordo, quem inſtitui, pro quo tantum
„ laboravi, ubi nullus Ordo, & utinam
„ ſempiternus horror non inhabitet. Uti-
„ que Filiis debetur hæreditas, ſed Filii
„ Sanctorum ſunt, non qui tenent loca
„ eorum; ſcilicet in domo, in habitu, in
„ nomine; ſed qui exercent opera eorum.
„ Non ſunt ea quæ dicta ſunt opera Patris
„ Dominici; ſed opera Patris Diaboli."
Quæ ſanè verba pro ea, quâ ſum Chriſtianâ charitate in omnes Regulares Ordines, mitiſſimè interpretabor, tanquam de pluribus non de omnibus, aut pleriſque ſcripſerit ſanctiſſimus Dominicanus Archiepiſcopus Antoninus, magno fortaſſe zelo nimiùm abreptus. Nemo tamen negaverit ex his evidens eſſe, maxima mala ex neglectâ S. Dominici ſententiâ per ambitionem, ac cupiditatem in optimum Ordinem profluxiſſe. Utinam Romani Pontifices adhæſiſſent Sancti Patriarchæ Dominici ſententiæ. *Gradu bono*, inquit,

ſublimati ſunt *Fratres* mei; ſi *recognoſcunt: nec pro meo poſſe permittam*, ut *aliud aſſequantur ſpecimen dignitatis*. Utinam hæc intelligerent Catholici Principes, qui ad Epiſcopatus,& Infulas nominant virosRegulares. Hos quidem viros ſe amare putant, eorum tamen Ordines perduntambitionem fovendo, & evertunt.

Nec meliora leguntur de Moribus Ordinum Mendicantium poſt S. Antonini tempora, cùm Dignitates, Auctoritas, Juriſdictio,perhonorifica munera,incrementum accepêre potiùs, quam decrementum. Nam ante S. Antoninum plura moderati fuerant Pontifices ex Mendicantium Privilegiis. Hinc S. Antoninus 3. part. tit. 22. cap. 5. §. 1. poſt plura Mendicantium privilegia enarrata hæc habet. „ Verùm quia proceſſu temporis ipſi Mendicantes, ſeu aliqui ex eis inſolenter cœperunt aliqua agere, quæ minùs erant in venerationem Prælatorum, & damnum Clericorum: Eccleſia aliquibus Conſtitutionibus repreſſit audaciam,& temeritatem illorum." Recenſet autem plures Conſtitutiones Antoninus, atque inter alia hæc recenſet. Item circà Inquiſitores,qui ordinariè ſunt Mendicantes, certâ ſtatutâ pœnâ. At quoniam poſt S. Antonini tempora per Sixti IV.

Bullas

Bullas; quæ *Mare magnum* nuncupantur, Mendicantes cumulati fuêre privilegiis, & honoribus; quibus adde Diploma Leonis X. à Bzovio, ac Spondano recitatum, de quo ſuprà: ea conſequuta ſunt, quæ memorantur in celebri ſcripto, quod PAULO III. obtulêre anno 1538. Cardinales, ac Prælati ab eodem Pontifice delecti, ad Curiæ & Eccleſiæ reformationem. Eos autem juramento, excommunicationis propoſitâ pœnâ, ad veritatem dicendam adegerat PAULUS III.* Nonnulla exſcribam.

„ Alius abuſus magnus, ac minimè „ tolerandus, quo univerſus Populus „ Chriſtianus ſcandalizatur; eſt ex impe- „ dimentis, quæ inferuntur Epiſcopis in „ gubernatione ſuarum ovium, maximè in „ puniendis ſceleſtis, & corrigendis." Ejuſmodi autem impedimenta erant, tùm ex effrænatis exemptionibus Regularium, tùm Inquiſitorum Mendicantium, & univerſæ eorum Familiæ, ut aiunt, ſive Officialium, ac Miniſtrorum. „ Hoc „ etiam animadvertendum, ac corrigen- „ dum cenſemus in Prædicatoribus, & „ Confeſſoribus conſtituendis à Fratri- „ bus, ut.... præſentarentur Epiſco-

* *Extat in edit. Conc. P. Grabbe, vid. Card. Quirini in Diatrib. ad Ep. Poli cap. ult.*

„ pis, quibus præ omnibus cura Eccle-
„ ſiæ eſt demandata, à quibus examina-
„ rentur per ſe, vel verò idoneos; nec
„ niſi eorum conſenſu admitterentur ad
„ hæc peragenda." Quibus verbis agnovit *Congregatio* noxia fuiſſe Dei Eccleſiæ, ampliſſima in contrarium privilegia à Regularibus, ſive obtenta, ſive ex-
„ torta. Abuſus alius turbat Chriſtia-
„ niſmum in Monialibus, quæ ſunt ſub
„ curâ Fratrum Conventualium (ità nuncupantur Fratres omnes cujuſcunque Ordinis, non in ſolitariis locis, ſed in Conventibus degentes, voce per eam ætatem conſuetâ) ubi in pleriſque Monaſte-
„ riis fiunt publica ſacrilegia, cum maxi-
„ mo Civium ſcandalo. Auferat ergo San-
„ ctitas veſtra omnem eam curam à Fra-
„ tribus Conventualibus, eamque det,
„ aut Ordinariis, aut aliis, prout me-
„ liùs videbitur:" Quibus verbis agnovit Congregatio noxia fuiſſe privilegia, quibus Mendicantes in ſuorum Ordinum Moniales conſtituti erant, veluti Monialium Epiſcopi.

„ Abuſus magnus, ac pernicioſus eſt
„ in Gymnaſiis publicis, præſertim in
„ Italiâ; in quibus multi Philoſophiæ
„ Profeſſores impietatem docent, imò
„ in Templis fiunt diſputationes impiiſ-

„ ſimæ : & ſi quæ ſunt piæ, tractantur
„ coram populo res divinæ valdè irre-
„ verenter: Ideò putaremus indicendum
„ Epiſcopis, ubi ſunt publica Gymna-
„ ſia, ut per eos admonerentur Lectores,
„ ne docerent adoleſcentes impietatem...
„ In impreſſione Librorum, danda eſſet
„ hujus rei cura Ordinariis." Illa autem Templa fuiſſe plerumque Regularium, Lectores illos plerumque Regulares, nemo dubitabit, qui morem ejus ætatis ſciat: Librorum imprimendorum curam Epiſcopis, & Fratribus Inquiſitoribus, & S. Palatii Magiſtro commendaverat Lateranenſe ſub Leone X., qui fruſtra clamantibus, & conquerentibus Epiſcopis, ut fusè refert Raynaldus in Annalibus; adeò benevolè ſe gerebat in Regulares: ſed hoc non benè cedere in Eccleſiæ bonum judicavit delecta illa Congregatio, ſoliſque Ordinariis eam rem commendandam cenſuit: Idem decrevit deindè Tridentinum. At ſub Pio IV. Romani Dominicani magnis conatibus contenderunt, ne ſibi è manibus elabi ſinerent hanc prærogativam Epiſcopalis autoritatis. Quare Decretum Lateranenſe reſtitutum eſt. Imò deinceps præter terminos à Lateranenſe conſtitutos, amplificaverunt autoritatem ſuam Regulares

Dominicani; & tùm Urbis Vicarium, tùm reliquos Ordinarios, à Librorum imprimendorum curâ ferè rejecerunt.

Cæterum quis extiterit fructus tot Cardinalium, Epiſcoporum, Inquiſitorum, Exemptionum, ac Privilegiorum: quibus in detrimentum Secularis Cleri, aucti fuêre Regulares Mendicantes; paucis verbis declaravit ea celeberrima Congregatio. „ Alius, inquit, abuſus corrigendus
„ in Ordinibus Religioſorum, quòd adeò
„ multùm deformati ſunt, ut magno ſint
„ ſcandalo Secularibus, exemploque plu-
„ rimum noceant. Conventuales Ordi-
„ nes (ut nempè Carthuſianos, ac ſimiles exciperet, atque etiam Theatinos &c. haud ita pridem conſtitutos.) „ abolendos
„ *putamus omnes*, non tamen ut alicui fiat
„ injuria: ſed prohibendo ne Novitios
„ poſſint admittere: ſic enim ſine ul-
„ lius injuriâ citò delerentur, & boni Re-
„ ligioſi eis ſubſtitui poſſent. Nunc verò
„ putamus optimum fore, ſi omnes pue-
„ ri, qui non ſunt profeſſi, ab eorum
„ Monaſteriis repellerentur.

Eandem hanc Regularium ex nimiis privilegiis depravationem comprobavit, quod accidit Paulo IV. Pontifice, qui cùm Cardinalis eſſet, Congregationi de quâ ſuprà, interfuit. „ Is enim quemadmo-

„ dum narrat Spondanus ad ann. 1559. n.
„ 3. Monaſticam ſeu Religioſam vitam
„ ſemel profeſſos, in Cœnobia, undè quâ-
„ cumque de cauſâ exierant; regredi præ-
„ cepit : atque in eo edicto exequendo ſe-
„ verè adeo, atque acerbè eniſus eſt; ut
„ complures in Pontificiis ditionibus Sa-
„ tellitum manu in vincula truderentur,
„ alii in Triremes conjicerentur. Qui va-
„ rias ob causas edicto parere non pote-
„ rant, ii tutiſſimum perfugium Venetias
„ elegerunt : ad quam Civitatem triginta
„ eorum millia confugiſſe dicuntur, quo-
„ rum plerique deſperatione adacti, in
„ Turcarum oras proficiſci, vel in Ger-
„ maniam migrare ſtatuerant : Nonnulli
„ domorum parietibus incluſi, rei exitum,
„ ac propinquum ſenis Pontificis le-
„ thum præſtolabantur. Reliqua vide
apud Spond. loc. cit.

Legendus etiam ipſe Paulus IV. in Bulla 14 tom. 1. Bullarii, ubi refert, quàm magnis ſceleribus eſſent implicati.

Hic itaque egregius extitit fructus, ſivè in Eccleſiam, ſivè in ipſoſmet Regulares Ordines, ex tot obtentis exemptionibus, honoribus, prærogativis, contrà utriuſque ſanctiſſimi Patriarchæ votum ac deſiderium. Quare ſi quis Regulares Ordines in Chriſti Charitate di-

ligat, neceſſè eſt, ut Cardinalatûs, Epiſcopatûs, Inquiſitoratûs, alioſque gradus quoſcumque, Eccleſiaſticam juriſdictionem adminiſtrantes, à Regularibus amovendos deſideret, omni ambitionis aditu, ac ſpe præcluſâ. Tunc enimverò ſperandum eſt, re, ac nomine Religioſos, majori in numero habitum iri in Eccleſiâ, cùm diligentiſſime illud Adagium Canonicum obſervabitur, Sæcularia Sæcularibus, Regularia Regularibus conferantur. Neque ſibi aliud volebant S. Dominicus, & Franciſcus, neque ab his diverſa ſenſit S. Ignatius, ut legere eſt apud Orlandinum in Hiſtoriâ Ordinis. Scio Clerum quoque Secularem obnoxium eſſe vitiis, ac criminibus: Verùm his extirpandis plurimùm juvabit ſanctitas Regularium Ordinum. Cæterùm ſi cupiditate honorum, ac pecuniarum eò res procedat, ut obſcuratum ſit *aurum*, *ut mutetur color optimus* in Religioſis Ordinibus: Ecquis corruptis Regularium moribus remedio eſſe poterit? ſi ſal *evanuerit* in quo ſalietur? Nemo inficiabitur poſt Tridentinum doctrinâ, ac probitate illuſtres vigere Regulares Ordines; multis ablatis, vel temperatis privilegiis: atque amplificatâ Cleri Secularis autoritate. Uberius incrementum hæc omnia ſument, ſi Inqui-

ſitorum poteſtas, aliaque omnia, quæ ad Juriſdictionem Eccleſiaſticam pertinent, Secularibus Clericis committantur. In eum finem Regulares Ordines excitavit Deus, ut pietati vacent, ut ad juſtitiam erudiant multos: id qui faciunt, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas Æternitates.

CAPUT X.

Exterorum etiam, in Librorum Proſcriptionibus per Romanam Inquiſitionem faciendis, Cauſam agi: Hinc utilitas, ac neceſſitas Conſtitutionis PAULI III.

CUm Tribunal Romanæ Inquiſitionis ſibi jus, ac facultatem vindicet, judicandi de Doctrinâ, Libris, Theſibus, Foliis quibuſcumque, Catholicorum omnium, cujuſcunque Regni: profectò poſtulandi jus habent univerſa regna, ut eâ formâ hoc Tribunal conſtituatur, quæ minimè omnium ſuſpecta ſit, & anſam non præbeat querimoniis exterorum.

Hujuſmodi verò eſſet ea Romanæ Inquiſitionis forma, in quâ imprimis Generalis Commiſſarius, qui maximus eſt Adminiſter, & pro ſuo nutu, ac libito, vel turbare omnia, vel ritè moderari poteſt: non Frater aliquis ſit, in ſpeculativâ Theologiâ Magiſter, quantò opportunius vel Cardinalium aliquis (illos enim Commiſſarios appellavit in ſuâ Bullâ PAULUS III.) vel ſaltem Illuſtris aliquis Prælatus, non Theologiæ modò, verùm etiam Juriſprudentiæ peritus, ac praxeos Judicialis; præterea Politicæ quoque prudentiæ: quæ niſi defuiſſet Regularibus Commiſſariis, ſapientiùs providiſſent, nè ſanctiſſimum Tribunal adeò gravi apud exteros odio laboraret: Conſultores autem ſeligantur: Vel tantummodò Clerici Seculares, vel ſi etiam Regulares admitti placeat, ex ommi primario Religioſo Ordine deligantur; ita enim fiet, ut unuſquiſque alterius præſentiâ cautior ad conſulendum fiat, & quæ alterum tacere continget, alter admoneat, atque eloquatur. Optimum præterea factu eſſet, ex variis Nationibus ſeligi Conſultores: non ſecùs ac conſuevit in Auditorio Romanæ Rotæ. Quam ipſam conſuetudinem in deputandis etiam Cardinalibus Inquiſitoribus, optimus quiſ-

que commendabit, ut quæ Congregatio Inquiſitionem in univerſâ Chriſtianâ Republicâ ſibi adſcribit, ex Judicibus ab Univerſâ Chriſtianâ Republicâ delectis coaleſcat.

Eoque magis ità ſentiendum puto, quòd Bulla Sixti V. de quindecim Congregationibus: & incipit. *Immenſa Æterni Dei.* Anno 1587. duobus in locis, ubi de Libris, eorumque Doctrinâ ſermo eſt, hæc habet: „ Univerſitatum Pariſien., Bononien., Salamanticen; Lovanien., aliarumque probatarum ſtudia „ ad Librorum expurgationem, & correctionem excitent; earumque diligentem operam, & induſtriam requirant. Et alibi infrà. „ Adjuncto etiam ſtudio, „ atque operâ doctiſſimorum Hominum, „ ex omnibus Chriſtiani Orbis Nationibus, per Nos, aut Succeſſores ſelectorum. " Quapropter Jus aliquod quæſitum videtur Nationibus exteris, ad ipſius etiam Pontificiæ Bullæ præſcriptum, ne graviſſima hujuſmodi negocia ad libitum unius, aut alterius Fratris expediantur: ſed conſultis Primariis Viris ex multiplici exterâ Natione. Quod ſi factum fuiſſet ſub Pio IV. & S. Pio V., aliiſque Pontificibus, non tanta apud exteros invidia conflata fuiſſet Sanctiſſimo

Tribunali, ex quibuſdam actis, & Conſtitutis, in præjudicium haud admodùm leve Regum, ac Principum.

Modò verò longè aliter ſe res habet, Mitto quòd nulli ſunt Exteri Cardinales in Tribunali S. Univerſalis Inquiſitionis. Minori utique famâ, ac decore Sanctiſſimi Tribunalis: Videntur à pluribus jam annis datâ operâ Dominicani Fratres obſtitiſſe, nè in S. Officii Congregationem cooptentur exteri Cardinales, qui fortaſsè non ſinerent ſe regi ad nutum Dominicani Commiſſarii. Quo Conſilio malè profectò meriti ſunt Dominicani de dignitate, atque Auctoritate Romanæ Inquiſitionis; cujus Decreta longè majori obſequio venerarentur, vel eæ ipſæ Nationes, à quibus cæteroquin non recipiuntur, ſi eam Congregationem ſcirent, non ex Italis tantùm, ſed etiam ex præcipuis aliorum Regnorum Cardinalibus, ſi quandò Romæ morentur, coaleſcere.

Illud pernicioſius, quòd Cenſuræ de Doctrinâ ac Libris, ab uno Fratre eodemque Dominicano pendent, Commiſſario videlicèt, unà cum aliis tribus Fratribus ſui Ordinis præcipuè.

Nam. 1. Si Doctrinæ, vel Libri Author charus Dominicanis ſit, penes Com-

miſſarium eſt, denunciationem, ab Accuſatoribus intentatam negligere, vel in aliud tempus differre; intereà autem temporis Auctorem monere, quemadmodùm factum eſſe cum Queſnello, teſtatur Laffiteau in Hiſtor. Conſtit. lib. 1.

2°. Poteſt unus, aut alter Cenſor deſignari, conſtrictus amicitiæ vinculo cum Dominicanis: ab hujuſcemodi autem Cenſoribus, quidni fauſta omnia, atque ad votum ſuum ſperare, Dominicano Commiſſario liceat? per quem deindè Cardinalibus approbanda proponantur, &c.

3°. Quid eſt facilius, quàm ut his amicis Cenſoribus, totus Fratrum chorus applaudat? Nempè magna illa nomina, Reverendiſſimus Commiſſarius cum ſuo ſocio; Reverendiſſimus Magiſter S. Palatii; Reverendiſſimus Generalis Dominicanorum, &c. Hæc ubi præceſſerint, quid, rogo, facient Inquiſitores Cardinales, quàm & Cenſuram faventem approbare, & Doctrinam Librumque abſolvere?

Secus autem fiet, cùm Libri, vel Doctrinæ Auctor inviſus, atquè ingratus Dominicanis eſt: An non ità factum eſt de Amadæo Guimenio, qui uno opuſculo complures Dominicanorum Theologorum, in Theologiâ Morali, & Caſuiſticâ errores, laxaſque opiniones, ipſis Au-

thorum verbis exſcriptis recitavit, non tamen probavit, ut diſertè profeſſus eſt ſub Libri initium. Hic ſcilicèt Author, ut à Jeſuitis ſuis accuſationem depelleret Theologiæ laxioris; quod crimen Janſeniſtæ, præcipuè in Galliis ubique, & magnis vocibus perſonabant: Libellum aggreſſus eſt, quo oſtenderet, & valdè paucas laxitates à ſuis Fratribus Jeſuitis tranſcriptas, & complures, ac graviores in Thomiſtis Theologis præextitiſſe. In eum Librum magni fuêre motus in Galliâ, ſed ut ea erant ſatis turbulenta tempora, neſcias utrùm illi clamores tribuendi ſint bono Catholicorum zelo, an malo Janſeniſtarum; qui clanculum bonos ipſos Catholicos, ſpecie pietatis inflammâſſent, ut ſuos etiam clamores admiſcerent: Vincentius Baro, aliique accuſârunt Guimenium, quòd tam multos errores Dominicanis Scriptoribus, non ſatis fideliter appingeret. Cauſam ſuam propugnavit Guimenius in Libello alio, quem obtulit S. Congregationi Indicis: Singula Auctorum loca recitavit, eâque diligentiâ expendit, ut Vincentii, Baronis calumnias omnino diſcuſſerit; legitur Libellus Apologeticus in Tom. I. Apologetici P. Fabri. Ea fuit rei evidentia, ut Hiſpana Inquiſitio, in quâ non imperant

Dominicani Fratres, nullam notam Guimenio inuſſerit, ejuſque lectionem univerſis Hiſpanorum Ditionibus permittat. Romæ autem ter vetitus eſt Guimenii Liber, ac ſemel exuſtus manu Carnificis ſub Innoc. XI. ut à quo Pontifice, ſpecie moralis ſeverioris decepto, per ſubreptionem, & obreptionem extorſerant laudes Arnaldi, & aliorum Janſeniſtarum: ab eodem Guimenius ad flammas damnaretur. Quam in cauſam refundas, tàm diſſimilem agendi modum? Nempè Dominicanus Commiſſarius Romæ eſt, qui in Hiſpaniis non eſt. Hæc cùm exteri ſciant, mirabimur eò imminutam eſſe exiſtimationem Romanæ Inquiſitionis, ut ſi hæc ad Hiſpanorum Inquiſitionem Epiſtolas mittat, nullum expectare reſponſum poſſit? Epiſtolæ ipſæ Provinciales Hæreſibus, ut Catholici omnes concedunt, fædæ, ac deformes; contrà Gratiæ ſufficientiam; tamen molliſſimâ proſcriptione vetitæ ſunt, nec ad ignem manu Carnificis damnatæ, ob læſam Fidem: quemadmodùm Guimenius ob læſos Dominicanos.

Non deerunt, quibus falſa ſcribere videar, quòd Commiſſarium Dominicanum cum ſuis, ferè Dominum Judiciorum appellem: cùm certùm ſit ex Cardi-

nalium Decretis iſta pendere : Verùm quicunque publicorum negoçiorum paulò peritior ſit, intelliget profectò omnia ferè eſſe penes primarios hujuſmodi Adminiſtros : atque in eorum poteſtate conſtituta. Pius IV. Judicium in Caraffas inſtituit, octo graviſſimis Cardinalibus in Judices deſignatis ; per quos lata eſt ſeveriſſima Sententia in Caraffas, Pauli IV. Nepotes. Cauſam retractari juſſit S. Pius V. iiſdem ferè datis judicibus : quâ de re legendi Bzovius, & Laderchi in Annalibus Eccleſiaſticis. Abſoluti autem Rei fuêre, ac prior Sententia reſciſſa, damnato Procuratore Fiſcali ; qui in primâ cauſæ cognitione, iniquum ſe præbuerat.
„ Fuerunt porrò plerique eo tempore Ju-
„ riſconſulti, ait Spondanus ad ann. 1560.
„ n. 2. qui conſtantiſſimè aſſeverârunt,
„ Judicium (ſub Pio IV.) iniquum fuiſſe,
„ ob ea quæ, Cardinalis, Pauli IV. juſſu à
„ ſe facta eſſe contendebat ... iis, quæ ſibi
„ objecta fuerant more Romano, quæſtio-
„ ni ac tormento ſubjecto, non expreſ-
„ ſis, Dilationibus quas petebat, non con-
„ ceſſis, Patronis ejus raro auditis." Nimirum Fiſcalis Procurator, multiplici hâc illatâ injuſtitiâ, iniquam ſententiam ab æquiſſimis Judicibus extorſit. Cujus iniquitatem alio ſubrogato Procuratore

Fiſcali; detexerunt, atque ipſimet agnovêre. Quid ex his in Commiſſarium S. Officii derivari poſſit, Lector per ſe ipſum intelligat.

Jam verò etſi Romanæ Inquiſitionis Decreta ab exteris Regnis non recipiantur, famam tamen Autoris Libri ac Doctrinæ graviſſimè vulnerant, Catholicorum judicio, ac nigram notam appingunt. Quotuſquiſque enim Doctorum eſt, qui non planè invitus audiat. Is quem vulgaſti, Liber proſcriptus eſt? Quòd ſi de juribus Regiis, Libri argumentum ſit: quâ occaſione Fratres, partim ex Curiæ Romanæ adulatione, partim ex inſcitiâ, in proſcriptiones effuſi eſſe ſolent: pii quique viri, ac Deum timentes ſcrupulis anguntur, in Libri Doctrinâ ſectandâ, quamvis moribus Regni conformis ſit.

Haud feliciter itaque proviſum eſt, ut tantus gladius, utrâque parte acutus, in manu Fratris ſit; quem perſæpè nulla Nobilitatis, nulla prudentiæ, nulla Doctrinæ, nulla inſignis probitatis egregia laus honeſtat. Audiendus Spondanus ad ann. 1516. n. 16., quo in loco de Regularibus loquens, præcipuè qui autoritatem Inquiſitionis exercent, ab Epiſcopali auctoritate abſtractam, ac divulſam; aliaque obtinent inſignia Privilegia: hæc ſcri-

pſit. „ Hoc unum ſanè dolentiſſimè, cùm
„ gratiâ Sedis Apoſtolicæ, cui obſequen-
„ tiſſimum equidem me in omnibus pro-
„ fiteor, & exhibeo; quàm plurimo-
„ rum aliorum nomine conqueri liceat;
„ quod frequenter eos angit, ac pungit;
„ dari centenis, ac millenis homuncio-
„ nibus, ac plerumque ignaris (quod ta-
„ men abſque præjudicio exiſtimationis
„ plurimorum dictum ſit) in ſingulis
„ Provinciis, ac Diœceſibus, quòd ea-
„ rum Archiepiſcopis, & Epiſcopis,
„ Apoſtolorum Succeſſoribus, divini-
„ tùs in participationem muneris Su-
„ premi Pontificis, cum debitis hono-
„ ris obſequiis vocatis; quantumvis Do-
„ ctrinâ, & rerum experientiâ præſtan-
„ tibus, adeò prohibitum Pontifices ve-
„ lint: ut vix poſt multas inſtantes pe-
„ titiones, moleſtas pulſationes, atque
„ importunas flagitationes, ad aliquam
„ Privilegiorum Regularium communi-
„ cationem admitti poſſint. An hoc eſt
„ Epiſcopum eſſe." Hactenùs ſuo, &
aliorum Epiſcoporum nomine, Spon-
danus Epiſcopus Apamiarum. Si adeò
acerbè queruntur Epiſcopi de Privilegiis
ac poteſtate Regularium, quid putabimus
à tot Urbibus ac Pagis dici, qui tot Re-
gularibus Inquiſitoribus, eorumque Vi-
cariis

cariis in rebus graviſſimis, maximique momenti ſubjiciuntur? An non etiam cum Spondano, *de centenis ac millenis homuncionibus, ac plerumque ignaris conquerentur*? Quid ſentire de his exiſtimabimus Regna, atque exteras nationes, quarum clariſſimi viri, ipſæque Academiæ obnoxios ſeſe vident, Cenſuris ac proſcriptionibus; quæ nomine quidem Romanæ Inquiſitionis feruntur: reverà tamen Dominicano Commiſſario referuntur acceptæ? Academiæ Duacenæ quàm turpis nota, levi de causâ inuſtâ ſit, in proſcriptione Cenſuræ Duacenſis per Indicis Congregationem, ante paucos annos, Belgæ adhuc graviſſimè dolent.

Neque illa omittam, quæ idem Spondanus habet ad ann. 1516. n. 15., ubi de Regularium Privilegiis; in damnum Juris Epiſcopalis diſſerens. „ An propterea, „ inquit, Epiſcopi, qui in participatio- „ nem muneris dati ſunt à Deo, indi- „ gniùs habendi ſunt, quàm Regulares; „ qui in ſolum merum obſequium poſt- „ modum inſtituti ſunt? Eſt, inquit, „ Spondanus, eritque, quamdiu res ita „ perſtiterit, perpetua, & æquiſſima Epiſ- „ coporum expoſtulatio. " Addo Regnorum etiam, ac Populorum: præcipuè cùm non tantùm de hoc agatur, ut

ne Regulares, immoderatis Privilegiis, plus æquo immunes ſint ab Epiſcoporum autoritate, Juriſdictione, correctione: ſed aliud longè gravius in querimoniam veniat; ſcilicet, quòd Librorum Cenſura, ac proſcriptio; ſummum erudito, atque ingenuo Scriptori malum; nutu Fratris Dominicani, aut feratur, aut ferri curetur.

Eò vel maximè, quòd non Libri tantùm proſcriptio, ſed proſcriptionis modus levior, aut gravior, totus ferè eſt ex arbitrio, aut artificio Dominicani Commiſſarii, ac Reliquorum Fratrum. Ex gr. anno 1744. die 16. Maii proſcriptus eſt Liberculus Jeſuitæ cujuſdam: quòd actus quoſdam de ſe veniales, & *ſolum* ex pravo *affectu*, & *intentione mortales*, appellaverit *ſubimpudicos*: Authorem non excuſo, ſed vehementer damno; cùm enim actus ii, ſin minùs ſpeculativè, ſaltem in praxi, ut plurimùm mortales ſint: proculdubio abſolutè *impudicos* appellare debuiſſet; neque inuſitatâ loquendi formulâ præbere legentibus, aut erroris ſuſpicionem, aut ſcandalum. At quoniam ſuus juſtitiæ modus eſt, nec ſuprà *condignum* peccata puniri, vel divina, vel humana jura permittunt: quid cauſæ eſſe potuit, ut error incautus potiùs, quàm pertinax, ſcrip-

tionis, quàm mentis, tantâ, ac tam gravi cenſurâ plecteretur, quantùm vix ſuſtinuit Queſnelli liber hæreſibus pluribus ſcatens, iiſdemque turpiſſimis? Proſcriptus enim fuit Liberculus ille Inquiſitionis Decreto; damnata ſunt exemplaria, etiam manuſcripta, ac defenſiones impoſterum edendæ: quâ ratione vix in Queſnelli libros animadverſum eſt; non autem in ipſas Epiſtolas Provinciales, licèt Janſeniano dogmate refertas. Qui hæc narrari audiunt, Itali, atque exteri: an ita rationis expertes ſunt, ut ea vel Pontifici, vel Cardinalibus tribuant? Neutiquam profectò. Verùm quamquam Dominicano Commiſſario, aliiſque Fratribus ea ſint tribuenda, inficiendum tamen minimè eſt, multùm indè odii, ac malevolentiæ, multùm querelarum apud cujuſcunque Ordinis Viros excitari. Quapropter illi ex Fratribus, qui hæc nomine ſanctiſſimi Tribunalis fieri curant, ad explenda privata odia in Franciſcanos, aut Jeſuitas; peſſimè merentur de communi apud homines famâ Romanæ Inquiſitionis; quam profectò famam plurimùm refert, ad Eccleſiæ contemptum vitandum, eſſe optimam, atque integerrimam.

Accedit obſervatio relatu digniſſima,

Cùm auctor inviſus Dominicanis non eſt, loco proſcriptionis, monetur; ut aliam editionem fieri curet emendatiorem. Hoc pacto cum Mabillonio actum eſt; monitus quippe tempeſtivè fuit, ut quem ediderat de Cultu *Sanctorum ignotorum libellum*, novâ adornatâ editione caſtigaret. Teſtatur id Mabellonii vita, operibus præfixa. Quamquam haud diſſimulem monitionem, ſatis utique placidam, mitem, benignam, vel cum Queſnello uſurpatam eſſe: quod novimus ex Laffiteau lib. 1. Hiſt. Conſtitutionis *Unigenitus*; laudarem hunc morem Prudentiæ, ac Charitatis pleniſſimum, ſi etiam cum Franciſcanis, Auguſtinianis, & aliis quibuſcunque, ex omni natione, ac regno uſurparetur.

Non expendo, quàm ſæpè infelices, atque indoctæ Cenſuræ ſint: quæ, cùm praxis per Dominicanum Commiſſarium invecta ſervatur; ab uno vel altero Regulari dantur, ac quibus ſuperſtruitur ſolemnis libri proſcriptio, cum ignominiâ Auctoris, Nationis, aut Religioſi Ordinis. Satis eſt, ſi Cenſuras legeris, ſecretò latas in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Natalis Alexandri; quaſque ipſemet Româ clanculum tranſmiſſas, in poſteriori editione vulgavit. Riſum enim perſæpe erudito lectori moverint, tam multâ inſci-

tiâ refertæ , tam multis ineptiis reſperſæ ſunt. Si autem hæc in viridi , in arido quid fiet ? Nimirum ſi tam malis Cenſoribus actum eſt contra Natalem Alexandrum , quibus Cenſoribus , vel Cenſorum quiſquiliis agetur contra Franciſcanos, alioſque æmulos.

Hæc ſanè perpetua querelarum penes Italos , atque exteros, materia ſunt ; at nunquam uberior eſt expoſtulationum ſeges , quàm cum Conceptionis Controverſia diſſeritur. In reliquis iniquè agi contra homines videtur ; in hac autem controverſiâ tractandâ , quis neget iniquè agi, vel contra B. Virginem ? Ejus enim cauſa in Romanâ Inquiſitione diſceptatur ; nimirùm , ubi regnum eſt adverſariorum Dominicanorum. Cùm tamen una omnium jurium vox ſit , Judices ab omni ſuſpicione, immunes eſſe oportere.

Celebriores inter Scriptores de Conceptionis Controverſiâ, duo recenſentur : ex Dominicanis alter, Bartholomæus Spina, S. Palatii Magiſter ſub PAULO III. contrà piam Sententiam ; alter ex Franciſcanis, Petrus de Alva piæ Sententiæ Propugnator. Hujus libri in Indicem vetitæ lectionis relati ſunt : ſecùs eſt de libro Bartholomæi Spinæ. At quo libro

Deus immortalis, ac quibus aſſertionibus referto! „ Papa, inquit, nequit ſilentium Dominicanis imponere: vetare
„ nequit, quominus opinionem de Immaculatâ Conceptione Deiparæ, tanquam hæreticam impugnent: Si id
„ faceret; non ut Pontifex ageret, ex
„ Spiritûs Sancti directione; ſed ut ſingularis,& præſumptuoſa Perſona,motu
„ proprio.... Si Pontifex juberet hujuſmodi ſilentium, neque Pontifex amplius eſſet, neque Chriſti Vicarius....
„ Dominicani, nihil officiente Sixti IV.
„ Decreto,impugnare poſſunt opinionem
„ Immaculatæ Conceptionis veluti hæreticam, & quilibet Jeſu Chriſti ſervus,omni quo poteſt ſtudio eniti debet,
„ ut id præſtet: quo tandem Pontifex
„ ad id decernendum moveatur; quod
„ debet.... Revelatio quæ Conceptionis Feſto occaſionem fecit, ex Satanâ
„ fuit....operâ Diaboli invaluit mos Feſtum Conceptionis celebrandi.....
„ Præferenda auctoritas SS. Doctorum,
„ qui ex Scripturis probant,quod dicunt;
„ autoritati Pontificum .... oppoſitum
„ Immaculatæ Conceptionis eſt ad Fidem neceſſarium, & unum ex præcipuis ejus fundamentis; Defenſores Immaculatæ Conceptionis, ſimiles ſunt

„ Luthero, aliiſque Sectariis in contem-
„ nendis ſanctis, eorumque autoritate ...
„ æquiſſimo Judicio permiſit fortaſſe
„ Deus Lutheri Hæreſim, in pœnam ne-
„ gligentiæ, quâ Pontifices uſi ſunt, in
„ Conceptionis Immaculatæ ſententiâ
„ tolerandâ, contra veritatem, quam SS.
„ Doctores docuêre .... Aſſertores Con-
„ ceptionis Immaculatæ amici ſunt Dia-
„ boli, filii Gehennæ, obtenebrati à Dia-
„ bolo, impudentiſſimi, & impoſtores;
„ à quibus, tanquam à Diaboli laqueis
„ fugiendum eſt.

Hæc atque alia ex eo Libro ſelecta, Pontificibus Romæ exhibita fuêre per Legatos Hiſpanos, cùm de eâ Controverſiâ diſceptatum eſt, ſub Paulo V., Gregorio XV., Urbano VIII., Innocentio X., Alexandro VII.: nec tamen proſcriptus Liber fuit. Eædem aſſertiones Matritum delatæ fuêre ad Archivium, ut vocant, Conceptionis; perpetuumque monumentum Dominicanæ Tyrannidis in Romanâ Inquiſitione: quam in Doctrinæ, ac Librorum Judicio, ac Cenſurâ exercent, non modò contrà æmulos Regulares, contrà Italos, & exteros Populos, eorumque Academias; ſed vel in ipſam Immaculatam Deiparam. Hæc omnia uberrimè explicantur per P. Tho-

O 4

mam Strozzi, in Hiſtoriâ Conceptionis, quam vide *Verbo Bartholomæus Spina.*

Liber Bartholomæi Spinæ non modò proſcriptus non eſt; ſed iteratis typis recuſus, ſaltem quinquies; aut ſexies: quemadmodum refert Echard, in Bibliothecâ Dominicanâ; refert inter alias recentiorem editionem anni 1699. Non omittenda tamen eſt Editio ejus operis, quàm Dominicani curârunt, poſt Tridentini Decretum de Immaculatâ Conceptione. Audiendus Frater Duimius Dominicanus, in Præfatione, quam unà cum novâ Editione vulgavit. Hæc ex aliis ſeligo, quæ Lector expendat: „ Eſt
„ autem præ cæteris à Sacris Literis
„ admodùm aliena, & Chriſti Evange-
„ lio diſſona, humana quædam inventio,
„ noſtro infelici ævo; ut poſthabitis S.
„ Scripturæ clariſſimis teſtimoniis, ſpre-
„ tis etiam Eccleſiæ, Sanctorumque Pa-
„ trum, veterumque Eccleſiæ Doctorum
„ ſalutaribus monitis, & doctrinis; cujuſ-
„ dam vanæ devotionis prætextu, Sanctiſ-
„ ſimam Dei Genitricem propriis ad in-
„ ventis laudibus celebrare cupientes, eam
„ non fuiſſe Adæ peccato obnoxiam, ac
„ proindè ſanguinis pretio non indiguiſ-
„ ſe, ineptiùs dogmatizare præſumpſe-
„ rint, ut hinc liceret aliquibus, qui Sa-

„ cris abuti conſuevêre, liberiùs vorare
„ domos viduarum, ſeducereque corda
„ ſimplicium, longâ oratione orantibus,
„ exiſtimantibuſque quæſtum eſſe pie-
„ tatem..... Quam audaciam, &c..."
Plura ſubdit de Editione novâ Operis Bartholomæi Spinæ, ad *eam*, ut appellat, *audaciam* frænandam. Nimirùm haud ſatis inverecundum erat Opus Bartholomæi Spinæ; niſi hujuſmodi Fratris Duimii Præfatio præfigeretur. Audienda prætereà quæ ſubduntur. „ Acceſſit,
„ inquit, SSmi. D. Noſtri PAULI
„ Papæ III. Conſenſus, & favor. Aſ-
„ fuit D. Cardinalis de Toledo ex Ord.
„ Prædicatorum (Adde etiam ex Inquiſi-
„ toribus S. Officii) magnifica liberalitas"
Quis credat PAULUM III. tàm impia, atque abominanda in eo Libro perlegiſſe? At donec Commiſſarius S. Officii, ex Dominicano Ordine erit, aliis ex eodem Ordine latus ejus ſtipantibus, quid non licebit Dominicanis S. Officii, ad decipiendos Pontifices, ac Cardinales, quotieſcunque res poſtulabit; ſivè ad Ordinis dignitatem augendam, ſivè ad æmulos quoſcunque, aut Sæculares Clericos ſubigendos & conculcandos? Qui in publicâ Urbis, atque Orbis luce publicis typis iſta evulgant, quid non au-

deant intrà domeſticos Inquiſitionis parietes ? in privatis Colloquiis cum Pontifice, Cardinalibus, Prælatis? Libro P. de Eſparza titulum *Immaculatæ Conceptionis inſcribi juſſit* Alexander VII. quid ad hæc Apoſtolici Palatii Magiſter? ea ſcilicet repoſuit, quæ vix poſteri credent: Hiſtoriam referam P. Strozzi verbis Lib. 10. Cap. V. ex Italico in Latinum converſis : „ Magiſter, inquit, S. Palatii, „ cùm de conſuetâ imprimendi facultate „ ab eo quæreretur, negavit ſe eam conceſſurum : *ſi Papa id jubet ſupremâ*, „ *inquit*, *ſuâ auctoritate: Libri Editionem* „ *jubeat*, *nec eſt*, *quòd ex me facultas petatur* : " Quàm multa alia fuiſſe putatis audaciſſima reſponſa, atque conſilia, quæ, ſi ab arcanis Inquiſitionis Conventibus erumperent in lucem publicam, horrerent audientium aures, & obſtupeſcerent Populi. Quid cauſæ ſit: Cur Fratrum quorumdam, ex demandatis ſibi muneribus ſuperbientium audaciam, non frangat Clerus Secularis Romanus, imò verò tantum jugum patiatur? Non enim ea noſtra eſt ætas, quâ ut olim, ſoli Regulares ſibi ſcientiam vindicant, aut vindicare meritò poſſent. Satis de audaciâ. Unum aut alterum crimen falſi, reticendum non eſt. Anno 1646. ineunte, &

ſubinitia inſequentis; Romæ ſub Innocentio X. vulgari cœpta ſunt exemplaria nonnulla Decreti cujuſdam, ut quidem titulus præ ſe ferebat, *Romanæ Inquiſitionis*: quòd Decretum Cardinales Inquiſitionis ſanxiſſent jam ab anno 1644. ſexto menſe antè obitum Urbani VIII.
„ Eminentiſſimi & Reverendiſſimi DD.
„ &c. Decreverunt, quòd quando agi-
„ tur de tribuendo titulo Immaculatæ
„ Conceptionis, B. Virgini, nullo modo
„ permittatur: ſed solùm dicatur Con-
„ ceptio Immaculatæ Virginis, & ità
„ obſervari mandârunt: *Jo. Antonius*
„ *Thomaſius S. Inquiſitionis Notarius.*"
Hoc Decreto ſubnixus Reverendiſſimus P. S. Palatii Magiſter, ab omnibus Imaginibus, ac Libris, in quibus occurreret, eradi mandabat *Immaculatæ Conceptionis nomen*: quod graviſſimè commovit Franciſcanum Ordinem, Regnum Hiſpaniarum: atque ità commovit, ut Rex Philippus IV. Decretum abrogari curaverit. Cæterùm Fratres Franciſcani, ac Jeſuitæ; ut ſunt homines minimè ſtulti; Decretum ſubreptionis, aut falſitatis inſimulârunt: Dominicani contrà offerre ſupplices Libellos, palam edicere, quòd Fideles non debebant inveſtigare conſilia SSmi. Tribunalis; ſed obſequentiſ-

ſimè revereri. Nimirùm quadrabat illud Satyrici Poëtæ. *Sancta Laverna da mihi fallere, da ſanctumque piumque videri, noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.* Cæterùm cùm Franciſcani aliique falſitatem in Decreto deprædicarent, multis argumentis adacti Dominicani ſunt, ut faterentur Decretum latum fuiſſe à Cardinalibus pro Civitate Bononiæ, & ad ejus Urbis Inquiſitorem miſſum; cujuſdam Proceſſionis, ac nonnullorum libellorum occaſione: ſatis hoc ad fraudem oſtendendam fuiſſet. Quid enim Romæ cum Bononia? Quare in vulgatis exemplaribus non inſcribebatur. *Pro Civitate, vel Inquiſitione Bononienſi*? Quid cauſæ erat, ut vulgaretur, veluti univerſale Decretum? Si latum Decretum in Bononienſes fuit, quid cauſæ erat, ut Romani, aliique prohiberentur per Magiſtrum S. Palatii, ne Immaculatæ Conceptionis titulum uſurparent? Verùm opportunè incidit Conſalvi cujuſdam Caſtellani Jeſuitæ, in Urbem adventus; Regni Hiſpaniarum, ac Philippi IV. nomine, ad S. Sedem ſpecialis Oratoris ſuper Conceptionis negocio. Hic accerrimè poſtulavit, ut ſibi daretur legale, atque authenticum Exemplar ſaltem, Decreti ad Bononienſes dati. Hiſpaniæ, ac

Philippi IV. nomine, id petenti juſſum eſt, ut exemplar daretur. At neque in Tabulario Inquiſitionis Romanæ, neque in Notarii, ut aiunt, Protocollis, neque in Urbe Bononienſi, neque prætereà repertum in Bononienſi Inquiſitione. Hæc aliaque plura recitat P. Strozzi in Hiſt. Concept. L. 10. Cap. 1. 2. & 3. Legendus poſtremus Dialogorum Italicorum P. Gagnæ, noviſſimè Typis excuſus: in quo lato calamo refertur; quòd facultate acceptâ à Cardinalibus Inquiſitoribus, paucos ferè ante annos poſtulatum fuerit Exemplar authenticum Decreti Innocentii XI. de Probabiliſſimo Societatis: Inventum autem eſt in Tabulario SSmi. Tribunalis falſum, ac depravatum; ut neque ſenſus conſtaret. Res eſt lectu digniſſima, & argumento, quod habemus opportuniſſima, dum illud addas: *Crimine ab uno, imò à duobus, diſce omnes.* Quid ad hæc exteri Populi? Iſta quamvis, non ut ſunt certiſſima, ſed dubia eſſent: an vel juſtitiæ, vel ſaltem pietatis, ac miſericordiæ in Chriſtianam Rempublicam ratio ſuaderet; ut Laici, Clerici, Regulares, continuâ indignatione commoveantur, ac penè fremant, ob hanc non inveriſimilium ſuſpicionum torturam?

Egregia hæc ſanè teſtimonia ſunt Dominicanæ fidei, Tribunalium auctoritate abutentis; non in Franciſcanos modò, Auguſtianos, vel Jeſuitas; ſed in Sanctiſſimæ Conceptionis dehoneſtamentum. Gravia ſanè iſta ſunt; ſed aliorum multò graviorum ſuſpicionem faciunt: quæ arcanum S. Inquiſitionis ſigillum æterno ſilentio claudit, & ab exterorum cognitione ſecludit. Si omnium conſcii eſſemus; quàm multa eſſent, quæ ſcriberentur!

Si Regna, Academiæ, Regulares Ordines pro Conceptione Immaculatâ certantes, hoc à Sede Apoſtolicâ obtineant; ut à Dominicano Commiſſario, in Prælatum ſumma Inquiſitionis adminiſtratio transferatur; erit, quòd ſperetur aliquid ad Conceptionis Immaculatæ cultum amplificandum: pro quo tam multa, & Galliæ Sorbona, & Hiſpaniæ Regna fieri curàvêre. Indignum profectò eſt, & ab omnium Nationum conſuetudine abhorrens; in eâ Conceptionis Controverſiâ; quæ ad Inquiſitionis Tribunal defertur; Dominicanos, & Judicis & Partis perſonas diſſimilllimàs ſuſtinere: idque in Judicio, quod occultiſſimè geritur, ipſis ſcientibus, quæ Franciſcani, ac Jeſuitæ faciunt, ac docent: His autem neſcientibus, quænam in aures Pontificum, ac

S. Officii Cardinalium inſuſurrent Dominicani. An non hæc certaminis forma eſt imparis, atque injuſti; contrà Civilia, Canonica, Divina, Jura?

Unum itaque ſupereſt tot malis præſentiſſimum remedium. Plures Legationes ad Sedem Apoſtolicam magnis ſumptibus miſit Hiſpania: nempè ut minimum duodecim. Nulla felicior illâ fuit, quæ ad Alexandrum VII. ſuſcepta eſt. Nimirùm poſtulavit Orator Regius, & à Pontifice exoravit, ne Dominicani ſeſe negocio immiſcerent. Iis abire juſſis: Alexander VII. cum Cardinalibus Inquiſitoribus; ac Prælato Secretarii Vices implente, octo dierum ſpatio, magnum illud negocium Bullæ Alexandrinæ in Conceptionis honorem, ac dignitatem abſolvit, atque expedivit. Nempè annis, octingentis Dominicanis tamen præſentibus, à Congregatione Romanæ Inquiſitionis obtineri tantundem non potuiſſet. Quid enim obtineatur; ſi in eo Inquiſitionis arcano Dominicani, quidquid libeat opponant: Franciſcani verò, qui non audiuntur, reſpondere nequaquam poſſint: quamdiu hæc Congregationis forma perſeveret? Quidni Hiſpaniarum Regna, ac reliqua extera; quæ Conceptioni Immaculatæ favent, conquerantur?

Quæ in Cauſâ Ven. Serv. Dei Mariæ de Agredâ recentiùs accidêre, argumento eſſe poſſunt, num vanæ querelæ ſint in Inquiſitionem Romano-Dominicanam. Unum hoc ſeligo. Statutum erat, ut peculiaris Cardinalium, ac Theologorum Congregatio coram Pontifice die 5. Xbris 1747. haberetur; ad judicium ferendum de ejus Scriptis; in quorum infamiam tota Dominicanorum factio conjuraverat. Inter cætera, quæ vitio eorum Scriptorum vertebantur, illud erat; quòd Mariam Virginem, uſitatâ cæteroquin voce *Redemptricem hominum*, appellaret; quòd ſcilicet Mundi Redemptorem genuerit. Inſtabat judicii dies: cùm ecce tibi per Urbem fama increbuit, proſcriptum fuiſſe àRomano-Dominicanâ Inquiſitione Libellum Italicum, Franciſcanorum Aſculanæ Civitatis, *de Viâ Crucis*, juſſumque magnis comminationibus; ut voces *de Virgine Redemptrice* eraderentur. Quo quid aliud actum eſt, niſi ut causâ per Dominicanos præjudicatâ, in Pontificium judicium Controverſia importuniſſimo tempore deveniret: & peculiaris Cenſorum Congregatio difficiliùs probaret, Mariam dici Redemptricem: cum huic Elogio, venerandum Inquiſitionis Tribunal nuperrimè detraxiſſe videretur.

CAPUT

CAPUT XI.

Ex Controverſiis aut Judiciis de Regularibus in Tribunali Inquiſitionis Romanæ, multiplex queremoniarum Seges. PAULI III Conſtitutionem præſentiſſimum eſſe illis Remedium.

Atque iſta quidem proximè, &, ut aiunt, directè tangunt exteros Populos : alia ſunt, quæ illos indirectè quidem, ſed tamen vehementer afficiunt.

Quæ ad Miſſiones Malabaricas & Sinenſes pertinent, maximè tangunt Luſitanos, Gallos, Germanos, qui frequentes in iis excolendis Provinciis degunt. Jam verò quanta paſſi ſint, quanta patiantur ab Inquiſitionis Romanæ Commiſſariis ; vel ſoli Jeſuitæ : ex pluribus authenticis teſtimoniis ita compertum eſt ; quàm quòd maximè. Legantur Apologetica Scripta P. Brandolini, de Miſſionibus Malabaricis : ubi quàm plurima falſa, ac maligna recenſet, quæ Frater Lucini, S. Officii Commiſſarius ſcripſit in editis à ſe libris, pro Decreto Cardinalis Tournonii. Id verò conficit Brandolinus ità perſpicuis argumentis [nam ut

P

plurimùm quæſtiones facti ſunt, non Juris] ut Frater Lucini, quà falſitatis, quà oſcitantiæ convictus, (nihil enim detractum volo bonis, ac piis moribus hominis minimè mali) tam longo annorum curſu, de tot tributis erroribus purgare ſe auſus non ſit. Fuerunt hæc Fratris Lucini inſcitiæ, atque imperitiæ tribuenda; non malo ſubdoli, ac fallentis animi vitio : illum ſiquidem minùs peritum fuiſſe ſatis prodidit, imò verius luce meridianâ clarius comprobavit Frater Hyacinthus Serri, ex eodem Dominicano Ordine : edito publicis typis Dictionario Luciniano, in quo recenſet ſupra 90. Sollecifmos, aut Barbariſmos, ex leviſſimo Fratris Lucini libello, de Pontificiâ infallibilitate. Quid igitur? putabimus ſatis fuiſſe conſultum rebus Malabaricis, Sinenſibus, aliiſque graviſſimis de doctrinâ negociis : ſi præcipuè horum gerendorum curam hujuſcemodi Commiſſariis, ſivè malâ fide, ſivè inſcitiâ laborantibus, Orbis Catholicus commiſſam fuiſſe cognoſcat?

Sed proximiora videamus. Teſtatur Benedictus XIV. in Decreto Fratris Norberti Hiſtoriam proſcribente, opus illud nullâ editum fuiſſe facultate, tùm Congregationis de Propagandâ Fide, tùm Romanæ Inquiſitionis : quod quidem ex

notiſſimis decerni neceſſe fuerat. Num hoc ignoravit S. Officii Commiſſarius? Fieri omninò non potuit, ut factum ſuum ignoraret. Itaque nullam ex ſe facultatem petitam, nullam obtentam ſciebat is, perquàm optimè rerum ſuarum bene conſcius. Hæc cùm ita eſſent, quàm turpiter, quàm tyrannicè muneri ſuo defuit Reverendiſſimus Pater? Ipſum enim per annum publicè in Urbe legi, ac per manus tradi permiſit; librum quem de Orientalibus Ritibus ſciebat vulgatum fuiſſe, refragantibus Inquiſitionis Decretis, nullâque, uti opus erat, ab Inquiſitione obtentâ facultate. Nùm tam oſcitanter; ac diſſimulanter egiſſet, ſi quæ Fratris Norberti Hiſtoria Jeſuitarum famam lacerabat, ea Dominicani Ordinis dignitatem, vel levi vulnere læſiſſet? Num Magiſter S. Palatii tam iniquæ diſſimulationi obſecundaſſet? Non enim latebat Reverendiſſimum hunc Patrem, (niſi quæ ſui muneris ſunt ipſum lateant,) Hiſtoriam maledicentiæ pleniſſimam, abſque neceſſariis Magiſtri S. Palatii facultatibus, & typis editam, & Romæ integro anno divenditam per Urbis Bibliopolas. His de rebus epiſtolas Româ conſcribi ad Laïcos, Clericos, Regulares; ad Academias; ad Principum aulas per-

ferri, famam longè latèque pervagari, Romanæ Curiæ Adverſarios exultare, indè, ac gaudere : amicos de iniquâ hac agendi ratione ſtomachari, atque in benevolentiâ tepeſcere : hæc aliaque permulta, ſi Romani Dominicani neſcientes ignorant, nimiùm profectò eorum aures peregrinantur : ſi autem ſciunt, ac negligunt, nec gratè, nec piè faciunt hi Fratres cum Romanâ Curiâ; ut quam ſibi beneficentiſſimam habuerunt, eam tùm Hæreticorum maledictis lacerandam, tùm Catholicorum querelis vellicandam propinent. Romani Pontificis Cathedram, ad hanc dignitatis, authoritatis, atque opulentiæ apicem; non Populorum, ac Regum contemptus, & querelæ: ſed exiſtimatio, ac benevolentia perduxit; quia Romanam Eccleſiam tanquam Matrem dulciſſimam complexi ſunt, non tanquam Novercam deſpexêre. Ubi autem deſpexêre, ferè tertia pars Occidentalis Eccleſiæ diſceſſit à Romano Pontifice, Seculo XVII.

Verùm quid ego tantùm de Orientalibus Miſſionibus memoro? Quæ ad Franciſcanos pertinent, Carmelitas, Auguſtinianos, Jeſuitas, alioſque Italos Regulares, qui Dominicani Commiſſarii jugum patiuntur; ea non ita quidem proximè,

ſed pertinent tamen ad eorundem Ordinum Regulares, in Luſitaniâ, Hiſpaniâ, Galliâ, Germaniâ, commorantes. Unius enim ſunt corporis membra. Quid illud autem ſibi velit de jugo Dominicani Commiſſarii, paulò latiùs exponendum eſt: ut conſtet, quanta hac in re patiantur Regulares.

Cùm Romanâ Inquiſitio non modò de doctrinâ cognoſcat, libris, controverſiis, ſivè Conceptionis, ſivè Malabaricis, ac Sinenſibus: verùm etiam de multiplici crimine, & accuſatione; præcipuè ejus, quam dicunt, Sollicitationis in Pœnitentiæ Sacramento: quemadmodum æquum eſt, ut Rei, ſi qui ſunt, puniantur; ita æquiſſimum etiam eſt, ut in re adeò lubricâ; & falſis, vel ex inſcitiâ, vel ex errore, vel ex malitiâ accuſationibus obnoxiâ; certi ſint Franciſcani, Carmelitæ, Auguſtiniani, Theatini, aliique Regulares quicunque; hujuſmodi tam magni momenti cauſas, per Judices, atque Officiales omnis ſuſpicionis expertes diſceptari, ac definiri. Jam verò ecquis paulò prudentior ſibi perſuadeat; nihil eſſe cur Franciſcani, aliique, de Dominicano Commiſſario ſuſpicentur? Quis exiſtimet reliquos per Italiam Inquiſitores, vel Inquiſitionis Vicarios,

ſivè qui in universâ Eccleſiaſticâ Ditione dominantur, ſivè qui in Genuenſi, Mantuanâ, Parmenſi, Mediolanenſi, Mutinenſi, Venetâ Ditione: neutiquam iis, quos dixi eſſe ſuſpectos?

Duo hac in re, ut ne longiùs abeam, tenenda ſunt: quorum alterum eſt, quid in his quæſtionibus Dominicani poſſint; alterùm prætereà, quid velint. Certò certiùs eſt, hos Commiſſarios, Inquiſitores, Vicarios, ac Reliquos Dominicanos Adminiſtros, ſivè Officiales, & poſſe plurimùm favere proprii Ordinis Religioſis, & plurimùm Regularibus aliis, præcipuè æmulis nocere poſſe, in denunciationibus recipiendis, in conficiendis proceſſibus, in Reorum defenſione; in carcere, ac reliquis pœnis infligendis. Qui praxeos judicialis paulò ſunt ſcientiores, id benè percipient; qui verò ſecus, fidem adhibeant peritis. Quòd igitur nocumento eſſe poſſint extrà omnem dubitationis aleam conſtitutum eſto.

An autem quod ſemper poſſunt, id etiam ſæpiùs velint, res eſt ſanè plena timoris, ac ſuſpicionis. Non rarò contingere, ut etiam nocere velint, ſatis facile cenſebunt Franciſcani, ac reliqui Regulares; ut ſunt genus hominum, vel prudentes, vel callidi, certè non inſipientes,

Clemens IV. in Bullâ datâ 12. Junii 1266., quàm refert Bremond in Bullario Dominicano tom. 1. pag. 475. narrat, quæ Dominicani Inquiſitores duo, contrà Franciſcanum injuſtè, ac perperam egerint. Judicio conſtituto, cauſâque cognitâ juſſit Pontifex, ut ii coram Franciſcanorum Capitulo publicè in genua procumberent, & injuſtitiæ veniam deprecarentur.

Quid modò Dominicani contra Reliquos Regularium agant, in Sacrâ Inquiſitionis Caligine, clam omnibus eſt. Id ſi palam eſſet, ſi de cognitâ iniquitate accuſari poſſent, ſi meritæ ab iis pœnæ repeti, quàm ſæpe de hiſtoriis ſimilibus rideremus. Quæ Livinus Meyer in ſuâ Hiſtoriâ vulgavit ex authenticis, atque indubiis monumentis deprompta de Dominicanorum quorundam Technis, ac fraudibus (quo enim alio nomine appellarem) in prioribus de Auxiliis Congregationibus; ſatis teſtantur, quouſque de Dominicanâ Inquiſitione, vel Commiſſario ſuſpicari Jeſuita poſſit. Eorum, quæ paſſi ſunt Franciſcani à Dominicanis Inquiſitoribus exempla, non tot, quin plura reperiet, qui volet ex Indicibus Annalium Wadingi.

Plures extant veterum Pontificum Bul-

læ, quibus cavetur; ut ne Dominicani Inquiſitores in Franciſcanos, aut hi in illos inquirant. Id ſtatuit Clemens IV. in Bullâ 12. Junii 1266. Bonifacius IX. tempore Schiſmatis, in Bullâ datâ 27. Aprilis 1402., Sixtus IV. in Bullâ Aureâ datâ 26. Julii 1479. Innocentius VIII. in Bullâ 10. Maii 1487. extant in Bullario Dominicano, apud Bremond, tom. 1. pag. 475. tom. 2. pag. 447. tom. 3. pag. 580. tom. 4. pag. 22. Nonnulla audiantur Verba Clementis IV. „ Dolentes accepimus in Provinciæ partibus dictos „ Ordines, Dominicanum, & Franciſcanum, ad id deveniſſe diſſidium: ut ſe „ laceſſitis injuriis invicem mordere, invicem diffamare præſumant, eo uſque „ prolapſâ tantæ diſſenſionis infamiâ, ut „ duo Fratres .... " Reliqua ibi legantur horroris plena. Hæc autem evenêre vix annis à morte S. Dominici 45., cùm adhuc viverent S. Thomas, S. Bonaventura, & B. Albertus Magnus. Vetuit eâ de causâ Pontifex, ne Dominicani in Franciſcanos inquirerent, aut viciſſim.

Atque iſta quidem longè majus noſtrâ hac ætate robur habere debent. Quippè tunc temporis non niſi Hæreſeos crimen ad Inquiſitores pertinebat: modò autem tùm Sollicitationum delicta, tùm plurium

Controverſiarum Quæſtiones ab eo Tribunali cognoſcuntur.

Obſtupui vehementer cùm in Bzovii Dominicani Annalibus Eccleſiaſticis 1566. n. 90. legi, quæ refert de Bartholomæo Caranza Dominicano, & Archiepiſcopo Toletano, in Inquiſitionis Carcerem conjecto, juſſu Supremi Hiſpaniarum Inquiſitoris: „ Ferdinandum,
„ ait Valleſium Archiepiſcopum Hiſ-
„ palenſem, Supremum id temporis in
„ Hiſpaniâ Inquiſitorem offendit ſplen-
„ dor [Archiepiſcopatûs Toletani] in
„ Caranzam collatus. Præreptum ſibi pri-
„ matum graviter dolebat, & ferre non
„ poterat. Ergo Philippo Regi obſtrepe-
„ re, ſuſpectum imprimis, deinde execra-
„ bilem reddere, indignum eâ ſede oſten-
„ dere, tum per literas, tum per Satrapas
„ nitebatur.... Hæreſeos ſi non Reum, cer-
„ tè affinem, ſummo etiam Pontifici Paulo
„ IV. ſuggerere; atque inculcare, illi eſſe
„ fucum factum, pro carbunculo carbo-
„ nem, pro agno lupum veteranum eſſe ob-
„ truſum." Et poſt multa., „ In Hiſpaniam
„ trajecit Caranza, ubi ſtatim à Ferdinan-
„ do Inquiſitore de Religione poſtulatus,
„ captuſque, anno 1559. in carcerem con-
„ jectus fuit.... Captus Alumnus Ca-
„ ranzæ Dominicus Royas, inque carce-

„ rem detruſus , & per tormentorum
„ acerbitatem ſe Reum criminis fateri
„ coactus ; primò ſtrangulatus , deinde
„ exuſtus , auxit Regi opinionem de Ca-
„ ranza. Captus eodem tempore eſt ab
„ eodem Ferdinando Supremo Inquiſito-
„ re , ſocius laborum in Angliâ Caranzæ ,
„ Frater Villagarzia Dominicanus, unà
„ cùm aliis duodecim Patribus ejuſdem
„ Inſtituti Hæreſeos falſo denunciatus ,
„ ſed nullius criminis convictus , inno-
„ cens poſt biennalem carcerem pronun-
„ tiatus eſt : cùm interim Philippus Rex
„ Catholicus refrænandum Ferdinandum
„ Inquiſitorem , qui XII. illos Domini-
„ canos capere properabat , putaret. Nam
„ cùm is Ferdinandus Inquiſitor , & Ar-
„ chiepiſcopus Hiſpalenſis ; ſive ad ma-
„ lignantium falſas delationes , ſive ad
„ proprium furorem in Dominicanos ex-
„ plendum , illos XII. & multos alios
„ comprehendere vellet , Regiſque aſ-
„ ſenſum poſtulaſſet : Rex interrogavit.
„ Si ſufficientes ad convincendum habe-
„ ret probationes , & ad condemnandum
„ poſſet ex hactenus deductis procedere ?
„ Illo autem negante , ſed ad tormento-
„ rum vim , per quæ extorqueretur Con-
„ feſſio , totum negocium referente : Rex
„ prohibuit , ne amplius quemquam ex

„ eis caperet.... Et quidem Ferdinan-
„ dus Archiepiſcopus, & Inquiſitor,
„ malè in Dominicanos innocentes ani-
„ matus, à perſequendis illis deinceps
„ abſtinuit; actum autem foret de eo or-
„ dine in Hiſpaniâ, ſi Rex Ferdinandi
„ Inquiſitoris rabiem non repreſſiſſet."
Hactenus ex Bzovio Annaliſtâ Dominicano.

Non ego tantùm, ſed Lector quilibet obſtupeſcet, quâ petulantiâ Frater hic Bzovius Dominicanus de Ferdinando Archiepiſcopo Hiſpalenſi, & Inquiſitore loquatur, imò de Philippo II., in quem plurima à me prætermiſſa congerit eo in loco; nullo, quod afferat, authentico documento nixus *præter traditiones Provinciæ Caſtellæ ex famâ poſthumâ.* Has enim Bzovius refert; Author autem Hiſtoriæ Concilii Tridentini, & Sententia Gregorii XIII. de Reo Caranzâ, quæ duo etiam nominat, alia omnia dicunt. Jam verò cùm tantùm ſibi ſumat Frater hic Bzovius, ut adeò irreverenter, atque procaciter excipiat Judicium Archiepiſcopi Inquiſitoris Hiſpani: quid non obloqui, quid non ſuſpicari liceat Regularibus, Clericis, Laicis, de tot Fraterculis Inquiſitoribus, aut Inquiſitorum Vicariis; quamvis Reverendiſſimi titulum eſſe

illis impartiendum, docuerit olim *Directorium Inquiſitorum*, ac noviſſimè Pignatellus? Quid non dicant ii præcipuè Regulares, inter quos ac Dominicanos æmulatio intercedit, atque contentio? Teſtem appello Sacram Cardinalium Congregationem, Regularium negociis præpoſitam, & ejuſdem Tabularia: utrùm Dominicani Fratres ſeſe aliis Regularibus meliores præſtent, utrùm ſe aliis eſſe ſanctiores probent? An verò cùm reliquus Dominicanorum Cœtus tot humana patiatur: qui Officio Inquiſitionis inſerviunt, ii ad unum omnes dicendi ſint, Non abire *in conſilio impiorum*, *in viâ peccatorum*, non ſtare, non ſedere in *Cathedrâ peſtilentiæ*? At Frater ille Spoletinæ Inquiſitionis Cancellarius; Frater alius Rmi Inquiſitoris Socius, qui duo, Feriis Bacchanalibus anni 1747. cum totidem Monialibus, à Monaſterii Clauſtro eductis; urbem noctu concurſabant ad compotationes, & ſacrilegos incæſtus: ſibique metuentes fugam arripuêre, eorum inquam, num in *Lege Domini voluntas* erat, num *in Lege ejus meditabantur die ac nocte*? Utinam, quibus S. Officii arcana commiſſa ſunt, eloqui de his poſſent, aut vellent! Utinam quæ his de rebus, in Confeſſariorum aures immittun-

tur, ad Pontificum notitiam devenire poſſent! Non eos Fratres profectò cenſerent nulli eſſe ſuſpicioni obnoxios. Quamquam & criminum Socii, non uſque eò ſecreti tenaces ſunt, ut ea uni, aut alteri, interdum etiam pluribus non patefaciant. Quid itaque non liceat de Fratribus hujuſmodi ſuſpicari, cùm Fratri Bzovio licuerit tam temeraria de Archiepiſcopo Seculari Inquiſitore effutire?

Atque ea quidem temeraria jure appelles: Nam Bartholomæus Caranza ab Hiſpanicæ Inquiſitionis carcere, ad Arcem S. Angeli Romam aſportatus eſt, tandem anno 1576. poſt Carcerem 19. annorum, plurimis habitis coram S. Pio. V. & Gregorio XIII. Congregationibus Inquiſitionis Romanæ, ac ſapientiſſimorum virorum Conſultationibus, Gregorius XIII., ut refert Gabutius in vitâ S. Pii V. Lib. 3. Cap. 4. Reum Archiepiſcopum *ſuper tali Hæreſeos crimine valdè ſuſpectum judicavit, certiſque pœnis injunctis, ad voluntariam omnis Hæreticæ pravitatis deteſtationem, ac legitimam Catholicæ Fidei Confeſſionem admiſſum abſolvit. Deindè ex Arce S. Angeli ad Cœnobium S. Mariæ ſuper Minervam abductus eſt.* Quid ſit autem ſuſpectum valdè eſſe de Hæreſi; quamque grave habeatur, nôrunt Canoniſtæ. Si XII.

illi Fratres Dominicani, quos etiam de *Hæreſi ſuſpectos*, conjicere in carcerem ſtatuerat Inquiſitor Hiſpanus : vel illi alii multò plures, in quos Bzovio teſte, animadvertere decreverat : ſi inquam ii omnes, æquè ac Caranza, culpæ omnis expertes erant; deceptus quidem Rex Philippus fuit, cùm Inquiſitori poteſtatem non fecit, eos in carcerem conjiciendi. Sed Ferdinandus à Bzovii Scommatibus integer abibit.

Erit qui ad hæc reponat : Quæcumque ea ſint, quibus Regulares obnoxii ſunt : iiſdem aut erroribus, aut criminibus obnoxium fore Secularem Clerum. Fruſtrà hæc objici ſentiet, quiſquis eorum meminerit, quæ hactenùs diſceptata ſunt. 1°. Tametſi ad malum pronus ſit Secularis Clerus æquè ac Regularis, fortaſſe etiam multò magis; præſtat tamen omnes malè agendi opportunitates à Regularibus amoveri; ut in bonum Clericorum Secularium, verbo Dei, Sacramentorum adminiſtratione, aliiſque piis operibus prodeſſe poſſint, pro vario uniuſcujuſque Regularis Ordinis ſanctiſſimo inſtituto. At verò ſi dignitatum, honorum, pecuniarum cupiditate, atque ambitione Regularia Clauſtra inquinentur, *cùm ſal evanuerit*; *in quo ſalietur* Cle-

rus Secularis? 2°. Quoniam Clerici, ac Presbyteri, non iiſdem inſtitutis, ac præceptis imbuuntur, ſecùs autem eſt de Regularibus: indè fit, ut ibi Regulares unius Ordinis, caducarum rerum ambitione, praviſque cupiditatibus in tranſverſum aguntur; eadem vitia ad poſteros tranſeant; nec meliores Inquiſitores, Vicarios, Officiales ſperare liceat impoſterùm: non idem de Clericis, ac Presbyteris timendum eſt, ſi malo quodam facto accidat hos Clericos, hos Presbiteros minùs pios eſſe, atque à malis cupiditatibus non admodùm alienos, & ad Inquiſitionis munus ſummâ, quâ decet integritate gerendum parùm aptos: facile eſt, ut ſuccedentibus temporibus meliora ſperes. 3. Clerici Seculares notiores ſunt, magiſque comperti Epiſcopis ſuis, aliiſque pluribus: Contrà verò, is, qui ex Regularibus disjunctæ alicujus Regionis, ac ſæpè non ſatis notæ familiæ eligitur, aut Inquiſitor, aut Inquiſitionis Vicarius, aut alterius gradûs, ac nominis Officialis, à Provinciali, aut Generali Magiſtro ſui Ordinis; ad iſtos gradus proponitur, vel à S. Officii Commiſſario Generali: quibus autem artibus, fraudibus, commendationibus, muneribus hæc omnia peragantur; ut modò aliquid ami-

citiæ, conſuetudini, ſpei detur; modò Patriæ, aut conſanguinitati, ſupervacaneum eſſet, in re compertiſſimâ Curiæ Romanæ Prælatis, ac Cardinalibus, diutiùs immorari. 4o. Propria Regularium ſunt Partium ſtudia, quibus in proprium Ordinem feruntur; reliquis verò, aut omnibus, aut nonnullis æmulatione, ac contentione infenſiſſimi ſunt.

Teſtantur hoc abundè innumeræ Regularium diſcordiæ, ac perpetua diſſidia: ità ut inter æmulas nationes ſanciatur interdum plurium annorum pax, inter Dominicanos, ac Franciſcanos, vel Jeſuitas; ſivè ex Controverſiâ Conceptionis, ſivè ex Quæſtionibus de gratiâ, perpetuum bellum intercedat. Hujuſmodi ſtudia partium à Seculari Clero remota ſunt. 5. Plura ſunt, quæ Secularis Cleri Alumnum in Officio continere, Regularem verò nequaquam poſſunt. Cogita Dominicanos illos duos Spoletinæ Inquiſitionis, effractæ Clauſuræ, & ſacrilegorum Inceſtuum reos: aufugêre illi ſcilicet, excesſêre Eccleſiaſticâ Ditione; nùm iis, remotus aliquis Conventus deerit, quò recipiantur? Hæc nimirùm ſpes quàm magnos animos addat, graviſſimo cuique audendo facinori, quis neſciat? Laicus autem, aut Secularis Clericus, ſi quid hujuſmodi audeat,

audeat, quæ illi ſpes eſſe reliqua poteſt? Ex his, per temetipſum cætera intelliges. Facillimâ loci, ac domicilii commutatione, facinora ſua iſta purgat Regularis Frater: ut commutationis ipſius ſpe propoſitâ, eadem facinora promptiùs aggrediatur; eadem aut ſimilis ratio eſt, ſivè eſſet de Franciſcanis, Auguſtinianis, Carmelitis, Theatinis, Jeſuitis, Barnabitis, omnibuſque denique Regularibus, quos omnes ad hujuſmodi res minùs aptos, imò verò ineptos cenſeo.

Conjicio quid ſecum ipſi animo reputent Dominicanorum plurimi: ut ut vera ſint, quæ hoc capite diſputata ſunt de Dominicanis Inquiſitoribus jure, ac merito ſuſpectis, atque inviſis ab univerſo reliquorum Regularium cœtu. Quid inde? *Oderint*, inquiunt, *dum metuant.* Non dubito quin hanc vocem ſæpiùs taciti uſurpent, eorum quos dixi ſatis plures. At hoc eſt ſibi conſulere; non Eccleſiæ Romanæ, ejuſque honori, famæ, dignitati, auctoritati, Juriſdictioni. Si Dominicanam tyrannidem unà cum Romanâ Curiâ, ex quâ univerſa ea poteſtas in Dominicanis exiſtit, magis hi Regularium cœtus oderint, an non hoc ſatis, ſuperque eſt; ut eadem odio habeat orbis univerſus? Nimirùm per orbem uni-

verſum cœtus ii protenduntur. Quòd ſi eò uſque abalienato animo ſint in Romanam Curiam ; quàm à Romanâ Cathedrâ, ſatis acutè plures diſtinguunt (vide Raynaldum ad annum 1536. n. 37.) ut quos animi ſenſus interiùs combiberunt, eoſdem in aures Clericorum, Laïcorum, Magnatum, Regum eructent : peſſimè utique conſultum erit, utilitatibus quàmplurimis Romanæ Curiæ : Quod utinam experientia non teſtaretur ; duobus ſiquidem iſtis poſtremis Seculis, mirum quantùm Dominicana Potentia excrevit ; nam & Inquiſitionis facultas ad plurima præter Hæreſim extenſa eſt, & per Dominicanum Commiſſarium ac ſubalternos aliarum Urbium Inquiſitores, qui paucis exceptis ferè Dominicani ſunt, magnum hoc Tribunal Dominicanum potiùs, quàm Cardinalium, & habetur, & appellatur. His adde Congregationem Indicis, cui Dominicanus Frater à ſecretis conſtitutus, qui pro ſuo nutu & arbitrio Cenſuras omnes, Librorumque proſcriptiones moderatur, potiori etiam autoritate, quàm Commiſſarius in S. Inquiſitionis Officio. Adde ſummum librorum imprimendorum imperium Dominicano S. Palatii Magiſtro concreditum. Quantum autem Poteſtatis Domi-

nicano Ordini ſuprà reliquos accrevit, tantundem abalienatos eſſe reliquos à Curiâ Romanâ, quicunque Regulares noverit, minimè dubitabit. Mitto ſuſpiciones iniquitatis, atque injuſtitiæ, quas ſibi à Dominicanis metuunt jure, ne an injuriâ non diſputo; ſed metuunt tamen. Quidquid in Ordine Dominicano peccatur contrà Dei, & Inquiſitionis Leges, non ab aliis Regularibus ſciri: quidquid hâc ſuper re peccatur in reliquis Ordinibus ſciri à Generali Dominicanorum, qui primarius S. Officii Conſultor eſt, ſciri à Commiſſario Dominicano cum ſocio, ſciri à S. Palatii Dominicano Magiſtro: hæc enim tàm ardua ſunt, ac difficilia, ut Regularium genio vix tolerabilia videantur. Eòque magis, quòd ea Magiſtri Generalis Dominicanorum ſcientia, haud merè ſpeculativa eſt, & ad praxim inutilis: Cùm enim ſciat, quidquid per ſuos Fratres in S. Officium delinquitur: poteſt, auditis prioribus accuſationibus, malorum occaſiones præcidere; jubere, ut Regularis, in quem accuſatio intentata ſit, aliò divertat, aliud munus ſubeat, aliis curis implicetur; nihil hujuſmodi per Generales aliorum Ordinum fieri licet, nullum tale remedium adhiberi. Qui autem fieri poteſt, ut dum hæc Regu-

lares reliqui expendunt; benevolentiâ, âtque amore in Romanam Curiam, non irâ potiùs atque odio accendantur? Duobus autem his ipſis Seculis, quibus & ad hoc faſtigium imperii Dominicani poteſtas evecta eſt; & Regulares reliqui abjecti, ad Dominicanorum pedes compreſſi, conculcatique ſunt; utrùmne Catholicorum Regnorum in Romanam Curiam exiſtimatio, ac benevolentia imminutionem paſſæ ſint; utrùm ejuſdem Curiæ, Autoritas, Juriſdictio, ſivè ut caſtigatiùs loquar, Autoritatis ac Juriſdictionis uſus, incrementum acceperint, ân verò decrementum, aliorum eſto judicium. Quamquàm ità res perſpicua omnibus ſit, ut Peritiorum Judicium nequaquam requirendum neceſſario videatur: Itaque Romanam Inquiſitionem per Dominicanos adminiſtrari; eorum commodis utile quidem, Romanæ Curiæ verò admodum perniciosſum: cùm hac agendi ratione non Regularium modò, ſed Orbis Catholici univerſi exiſtimatio, ac benevolentia in hanc optimam Curiam in dies imminuatur.

Quamquàm hæc ſe ipſis perſpicua ſint, proderit tamen plurimum exemplo aliquo, veluti intento digito demonſtrare fuſiùs, quod alibi breviùs indicaveram.

Cùm ſancitum fuiſſet in Lateranenſi Concilio ſub Leone X., ut libri Typis edendi, Romæ quidem ab Urbis Vicario, & à S. Palatii Magiſtro Dominicano; extrà Urbem ab Ordinariis & Inquiſitoribus, qui extrà Hiſpaniam ferè Fratres Regulares erant, probarentur: revocatum id fuit per Concilium Tridentinum paucis poſt annis, & in meliorem formam commutatum Seſſ. 4. „ Sacroſancta Sino-
„ dus.... Impreſſoribus modum impo-
„ nere volens, decernit, ac ſtatuit....
„ ut nulli liceat imprimere, vel imprimi
„ facere quoſvis libros de rebus ſacris,
„ niſi primùm examinati probatique fue-
„ rint ab Ordinario; ſub pœnis Anathe-
„ matis, & pecuniæ in Canone Conci-
„ lii noviſſimi Lateranenſis appoſita."
Quo ſaluberrimo Tridentini Concilii Decreto, imperium edendorum Librorum à Fratribus Inquiſitoribus, & S. Palatii Magiſtro avulſum, dabatur, ex toto Ordinariis; in quorum numero eſt Urbis Vicarius. Ità quidem Tridentini ſtatutum eſt, ubi Synodus, non Dominicani imperabant. At ubi primùm abſoluto Concilio, univerſum negocium Indicis Librorum prohibitorum à Pio IV. demandatum fuit Romanis Dominicanis; ac præcipuè Forerio Dominicano Epiſcopo:

tùm Regulis Indicis in Tridentino Concilio confectis, tùm Pii IV. Bullæ inſerendum curârunt abrogatum Decretum Lateranenſe: quo factum eſt, ut Inquiſitoribus extrà Urbem; in Urbe verò Magiſtro S. Palatii Dominicano regnum typographicum iterùm vindicaretur, cum ampliſſimâ Juriſdictione, quam in Libros etiam Epiſcoporum, & Cardinalium, magno dedecore utriuſque Ordinis, & Cardinalitii & Epiſcopalis exercent.

Hujuſmodi legem injuſtam eſſe, ac juri naturali, & Canonico, ac Civili adverſantem, plerique, maximè Regulares, proculdubio ſecum animo tacitè reputabunt, quamquam non audeant id palam, ac publicè præ ſe ferre.

Utroque Jure Civili, & Canonico ex naturæ principiis hauſto cavetur, ne qui Reorum inimici ſunt, iidem Judices, ac teſtes ſint. Licèt autem Jus Civile permittat, ut inimicus ſit accuſator L. *qui accuſare* ff. *de accuſat*, tamen Jus Canonicum ſecus decernit in cap. *repellantur* de Accuſationibus. „ Repellantur ab „ accuſatione cohabitantes inimicis, quia „ infeſtationes, blaſphemiæ, affectio ſolet „ amicitiæ incitare. Et Canone *Accu-* „ *ſatores* 3. qu. 5. Accuſatores, vel te- „ ſtes ſuſpecti non recipiantur; nec fami-

„ liares, vel de domo procedentes, nec
„ etiam conſanguinei Accuſatoris adver-
„ sùs extraneos teſtimonium dicant: quia
„ propinquitatis, & familiaritatis, ac
„ dominationis affectio veritatem impe-
„ dire ſolet: Amor carnalis, & timor,
„ atque avaritia plerumque ſenſus hebe-
„ tant humanos, & pervertunt opinio-
„ nes, ut quæſtum pietatem putent, &
„ pecuniam quaſi mercedem prudentiæ."
Hæc in accuſatoribus locum habent, quantò magis in Judicibus? Præterea notum eſt innumeros eſſe Textus in Jure Canonico, quibus ſtatuitur, quòd Laici Clericos accuſare non poſſint: Ratio hujus Regulæ, quæ ſuas habet limitationes, hæc fuit; quia, inquit, Gonzales, Laici Clericorum inimici eſſe creduntur, cùm eis valdè ſint infeſti, ob diſparem profeſſionem, quemadmodùm etiam dicitur in cap. Laicos 1. q. 7.
„ Laicos non accuſare Epiſcopos eſt ha-
„ ctenùs obſervatum, quia non ſunt ejuſ-
„ dem Converſationis, & oppidò eis
„ quidam infeſti exiſtunt.

Num autem hæc Dominicanis congruant in Franciſcanos, alioſque Regulares æmulos, Lector judicet: Qui etiam meminerit Doctrinæ Canoniſtarum apud Gonzales in Cap. *licet* de Appellationi-

bus, & Recuſationibus per hæc Verba: „ Univerſitatem, ſeu Collegium recu„ ſari poſſe vulgò dicitur ex cap. *Licet* „ de foro competent. Clementinâ *Pa*„ *ſtoralis* de re judicatâ veluti ſi omnes, „ aut major pars ſuſpecti ſint, aut Præ„ ſes, aliuſve majoris auctoritatis, cui „ cæteri vix auſint loqui." Tandem audiendus Epiſcopus Covarruvias Practicarum QQ. Cap. 26. „ Etiam ſi nulla „ humana Lex hâc de causâ fuiſſet in „ ſpeciem ſtatuta, ratio ipſa facillimè „ oſtenderet, eorum judicia nobis fu„ gienda, omnibus modis avertenda fo„ re, quos propter odium, inimicitiam, „ aliamvè cauſam ſuſpectos habemus: „ aut tandem juſtè opinamur maximè „ amicos eſſe & propenſos hiſcè, qui no„ biſcum aliquâ de re controvertunt." Hujus generis innumera non planè ignorantur à Franciſcanis, Carmelitanis, Auguſtinianis, Jeſuitis, ac cæteris Regularibus: Quare & juſtiſſimum putabunt ſe ſubeſſe debere Ordinariis, ac Vicario Urbis in impreſſione Librorum, quemadmodum ſtatuit Tridentinum, & iniquiſſimum, atque omninò intolerandum ſe ſubjici debere Dominicano Fratri, ad quod eos maximè invitos; cogit Bulla Pii IV.: Imò probabile, probabi-

liùs, probabiliſſimum exiſtimabunt ſe poſſe tutâ conſcientiâ Leges hujuſmodi; etiam ſtipatas Cenſuris, negligere; cùm per humanum timorem licuerit. Idem eſto judicium de Lege, quâ Secretario Indicis, ac Commiſſario Inquiſitionis velint, nolint ſubeſſe coguntur, utrique nempè Dominicano. Scilicet Regulares, qui Dominicanum imperium patiuntur, homines minimè bardi, ac ſtupidi acutè theologizant in rebus ſuis, ſibique, atque aliis in memoriam revocabunt illa S. Iſidori, quæ S. Thomas probat. 22. Q. 95. art. 3. Erit Lex honeſta, juſta, poſ-
„ ſibilis, loco, temporique conveniens,
„ nullo privato commodo, ſed pro com-
„ muni utilitate." Vel illa ejuſdem S.Thomæ qu. 96. art. 4. „ Injuſtæ ſunt Leges....
„ ex formâ, putà *cùm inæqualiter onera mul-*
„ *tis diſpenſantur* : etiamſi ordinentur ad
„ bonum commune: & hujuſmodi magis
„ ſunt violentiæ, quàm Leges; undè ta-
„ les Leges non obligant in foro con-
„ ſcientiæ, niſi fortè propter vitandum
„ ſcandalum.

Rogo jam, quotquot ſunt æqui rerum æſtimatores, & Pontificiæ utilitatis ſtudioſi, atque amantes, nùm hujuſmodi Regulares imbuti hâc doctrinâ, bonâ, an pravâ, non diſputo; ſed hac tamen

doctrinâ imbuti, de iniquitate nonnullarum Romanarum Legum: nùm, inquam faciles futuri ſint ad redarguendos Clericos, aut Laïcos Ciſalpinos, & Tranſalpinos, qui & ipſi de alicujus Pontificiæ Conſtitutionis iniquitate conqueruntur? Profectò, quantùm ego conjicio, ipſi malorum non ignari, diſcent miſeris ſuccurrere, nec magnum Germanis, Hungaris, Polonis, Belgis, Gallis, Hiſpanis, imò etiam Venetis, Sabaudis, Genuenſibus, Siculis, Neapolitanis injicient inobedientiæ ſcrupulum. Donec Seculo XII. XIII. XIV. Pontificia liberalitas omnes univerſim Regulares complexa eſt, etiam cum Poteſtatis Epiſcopalis detrimento aliquo, hoc ex ſuâ liberalitate, commodum ſenſit Romana Curia; ut ad ejus honorem, atque incrementum Religioſi Ordines veluti confertis agminibus præliarentur, magno Pontificiæ autoritatis bono. Ab Seculis XVI. & XVII. ea autoritas, ac poteſtas conceſſa eſt Dominicanis, Magiſtris S. Palatii, Secretario Indicis, Commiſſariis S. Officii, ut eos nedum Romanus ille Clerus, olim rerum Dominus, nedum Præſules Romanæ Curiæ, ſed Cardinales ipſi Emi. ſuſcipiant, invideant, atque etiam timeant: ut hinc intelligas,

quid de aliis Regularibus judicare liceat; quos non dubito in eâ exiſtimatione fuiſſe, ac futuros; ut putent ſibi congruere maledictionem Heli. Regum 1. cap. 2. *Et videbis æmulum tuum in templo in univerſis proſperis Iſrael, ut deficiant oculi tui, & tabeſcat anima tua* : Jam duobus hiſce Seculis, quibus culmen attigit Romæ Dominicana poteſtas, non modò tantùm exitii paſſa eſt Romana Fides per Lutherum, cui malo tùm occaſionem, tùm cauſam dediſſe effrænem Dominicani Ordinis poteſtatem, ſuperiùs evici, ſed apud ipſos Catholicos plurimùm detrimenti allatum eſt Pontificiæ autoritati : Utrùm hoc ex illo contigerit, indicent docti, ac prudentes : utrumque his Seculis contigiſſe indubitatum eſt. Uſque ad Ludovicum XI. Galliarum Regem, qui anno 1483. obiit, reſcripta omnia Romana, etiam poſt diſſidium Bonifacii VIII. & Philippi Pulchri, paratam executionem in Galliis habuêre, teſte Epiſcopo Laffitteau in Hiſtoriâ Conſtitutionis *Unigenitus* lib. 3. Ludovicus autem XI. edicto cavit ne Rege inſcio, ac non probante in Regnum inferrentur Pontificiæ expeditiones, Literæ, Proceſſus, & Scripturæ, nihil verò de Brevibus aut Bullis dogmaticis : jam quò res proceſſerit duo-

bus hiſce Seculis XVI & XVII. nemo non videt. Cùm tot Pontificia Brevia, ac Conſtitutiones emanent, raro vix una, aut altera magnis curis, ac moleſtiis in exteris Regionibus recipitur; etſi Cenſuris graviſſimiſque clauſulis munitæ ſint. Inquiſitores Pontificii univerſum ferè Chriſtianum Orbem repleverunt, quod liquet ex Catalogo Fratris Fontanæ Dominicani; vix in Italiâ aliquâ ex parte vigent: recenter ſub Victorio Amadeo in Pedemontis Regione ferè ſiluerunt, ut taceam de Hetruria, ac Neapolitano Regno.

Quo loco apud exteros ſint Decreta, ac Cenſuræ Romanorum Congregationum, res eſt gemitu, ac lacrymis digniſſima. Pro certo ſcio Clementem XII. conqueſtum fuiſſe cum Generali Franciſcanorum; quòd nonnulli ejus Ordinis Theologi minùs æquas Romano Pontifici opiniones, haud ità pridem foviſſent. Atqui, inquit Generalis, mihi integrum non eſt, ut Fratres mei, qui tàm multis Romæ vapulant, extrà Urbem magnis animis Romanæ Sedis prælia prælientur. Querela eſt, Jeſuitarum zelum pro Sede Apoſtolicâ deferbuiſſe in Aulis Principum. Id an ità ſit, incompertum habeo. Certè ut ſunt hominum genus, pium, ut plerique dicunt, ſed

etiam politicum : certè non fatuum, ac ſtultum, animadverterunt fortaſſe, quid ſibi profuerit, tanto æſtu pro Romanâ Sede incaleſcere. Profuit ſanè Dominicanis fœdus in Galliâ percuſſiſſe cum Janſeniſtis, ac Queſnellianis : à quibus DD. Maigrot, Charmot, Duvaucel, ſivè Vallonus adjuti mirificè ſunt in Controverſiis Sinenſibus, ac Malabaricis. At magno ſtetit Jeſuitis ſuum in Janſenianos Bellum pro Bullis Innocentii X. & Alexandri VII. propugnandis : præter tot de laxâ morum Doctrinâ criminationes, excitârunt Janſeniſtæ, ſuum Maigrot, Autorem edicti Fochienſis, contrà Sinicos Ritus, ut hoc pacto ſuam Janſenianam factionem ulciſceretur, homo ejus ſectæ veneno, eò uſque tumidus, ut Romæ deindè, ac ſi *Amſtelodami, aut Londini eſſet*, *Conſtitutionem Unigenitus* maledictis, ac conviciis impudentiſſimè inſectaretur (vide Laffiteau lib. 3.) eo ipſo tempore, quo pro ſuo edicto Sinico decertebat. Cùm autem Dominicani, qui in Galliis à Conſtitutione *Unigenitus* ad futurum Concilium appellavêre, magno numero, ac totis ipſis ſæpè Cænobiis honorificentiſſimas tamen Bullas, ac Brevia Apoſtolica extorſerint ; contrà Jeſuitæ hunc laborum ſuorum pro Apo-

ſtolicâ Sede fructum collegerint, ut quòd Conſtitutionem *Ex illâ die* cum declarationibus, & Legati Apoſtolici Mediobarbi moderationibus executi ſint, *Inobedientes*, & *captioſi homines*, Romanis Dominicanis hoc ſuadentibus, & probantibus, & ridentibus ad perpetuam rei memoriam in Bullâ Pontificiâ ſint appellati. Quòd ſi dictum paulò acerbiùs, Dominicani Inquiſitoris in Franciſcanum Theologum, tempeſtatem periculoſiſſimam excitavit, ſub Joanne XXII. ad quam Corbarii Schiſma conſecutum eſt: ſi alterius Inquiſitoris imprudentior increpatio in S. Jacobum de Marchia innumera ſcandala unà cum Controverſiâ de Chriſti ſanguine ſuſcitavit: quibus de rebus legendi Annales Wadingi: ſi virulentior Cenſura Turrecrematæ Dominicani in Theſes Alphonſi Toſtati, Virum hunc cæteroquin non doctiſſimum modò, ſed ſanctiſſimum, & quem nonnullæ Eccleſiæ uti Beatum coluêre, ità vehementer commovit; ut in ſuo defenſorio, non modò de Dominicanorum tyrannide; ſed de ipſius Pontificiæ Curiæ injuſto judicio conqueſtus fuerit, atrociſſimis verbis: facilè etiam credam, quòd cœtûs Jeſuitici homines, tenaciſſimi injuriarum in famam Ordinis ſui,

cujus ſtudio maximè tenentur, Romanam Cathedram ad ſummum veneraturi ſint, non tamen Romanam Curiam: niſi fortè, & ipſi annis labentibus Mainburgum olim ſuum ſapere incipiant, quem Innocentii XI. ſimultates, atque odia in Societatem, à Janſeniſtis invidiosè accuſatam, exacerbârunt: ut proindè mirandum non ſit, quòd Jeſuitæ ſub Innocentio XI. in Propoſitiones Cleri Gallicani anni 1682. vel impediendas favore Ludovici XIV. ſibi maximè benevoli, vel impugnandas non ſatis, ut ſolent, acriter laboraverint. Quotquot Romani Pontificatûs ſtudioſi ſunt, ut eſſe decet Catholicos omnes, acerbiſſimè ferent, quòd Pontificis favor in Dominicanum cœtum ad magnam uſque aliorum dejectionem, ac penè conculcationem, reliquorum Regularium animos à Romanâ Curiâ abalienet, cùm notum ſit concordiâ res parvas creſcere, diſcordiâ maximas etiam dilabi. Tunica Polymita, aliæque nonnullæ pueriles tricæ, quibus Joſeph nimiâ Jacobi Patris benevolentiâ prælatus eſt Fratribus ſuis, magnam jurgiorum, ac turbarum ſegetem invexit; Fratres in Fratrem odio, Filios in Patrem inobedientiâ inflammavit: Quid ſi Jacob Pater nimis

importunè benevolus, Joſepho ſuo imperium multiplex in Fratres dediſſet. Atqui Dominicanis, quàm multa licent in alios Regulares, quæ imperium ſonant, ad eos uſque *alligandos in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant in eis judicium conſcriptum*, cùm tamen ſæculo 13. 14. & 15. neque Dominicanis Inquiſitoribus in Franciſcanos, neque his in illos inquirere liceret, ad odia, ac diffidia evitanda, uti legere eſt in Bullario Dominicano.

Quid, quod nedum Regulares, ſed & Laicos, eâ de causâ in Romana Tribunalia exacerbato animo eſſe neceſſe eſt? Quid enim ſecum animo reputaverit Nobiliſſimus ille, atque doctiſſimus Italus, Vir immortalis famæ, & totâ litterariâ Republicâ celeberrimus, idemque Author *Hiſtoriæ Theologicæ de Gratiâ*, contrà Janſeniſtas: cùm ei non licuit per Romanos Dominicanos Librum hunc ſuum Romanis typis vulgare: quamvis Romæ reviſus fuerit, atque approbatus, quòd Dominicanorum Sententiis addictus non fuerit, ſed Catholicum unicè dogma propugnaverit. Quid non poterunt, qui potuerunt Librum, in defenſionem Pontificiæ Bullæ elaboratum, impedire? Et tamen licuit D. Charmot Hiſtoriam Cultûs

tûs Sinenſium Romæ pervulgare, & Præſulibus, ac Cardinalibus legendam offerre, in quâ error de Janſenii facto, cubitalibus literis edocetur; nullâ proſcriptione unquam ſecutâ: licuit Norberto Hiſtoriam Malabaricam abſque debitis facultatibus editam, tacitè conniventibus S. Officii Commiſſario, & Magiſtro S. Palatii palàm divendere, quod adhuc perduraret; niſi Galliarum, ac Luſitaniæ querelæ interceſſiſſent. Quid ſecum reputaverit, ac reputet Duacena Accademia; quæ quamvis Galliarum Regi ſubjecta, non tamen acquieverat Propoſitionibus quatuor, Gallicani Cleri anni 1682. amplectendis, quo animo ſit ergà Romanam Curiam facilè percipies.

Hujus enim Academiæ recentior contrà errores Bajanos, ac Janſenianos cenſura doctiſſima, ſub Clemente XII. per Indicis Congregationem, ſivè ejus Dominicanum Secretarium proſcripta fuit. Scripſerat enim quòd S. Thomas, faviſſe viſus ſit opinioni, neganti voluntatem ſalvandi omnes, ſed tamen addidit *Thomiſtas explicare S. Thomam*. Hoc maximum Academiæ Duacenæ facinus, hoc ſcelus, hoc Sacrilegium fuit: ideò ejus egregia in S. Sedem merita oblivioni dedêre Do-

minicani Fratres, confictam ab ipſis Thomiſticæ Scholæ læſionem ulturi. Confictam, inquam, nam etiam loca plura Scripturarum, attento verborum cortice favere videntur erroribus, niſi idoneâ explicatione donentur: ſcilicet ſatis non eſt bonis iſtis Fratribus in Galliis contrà Sedem Romanam penè univerſos rebellaſſe; niſi Catholicos hâc agendi ratione à Romani Pontificis amore & obſequio avellant? Tantorum malorum unum hoc eſto remedium, ſi juxtà PAULI III. Conſtitutionem *Secularia Secularibus*, *Regularia Regularibus* conferantur, ut habet Canonicum Adagium.

CAPUT ULTIMUM.

Suffragium Ven. Ser. Dei Fr. Bartholomæi de Martyribus Dominicani, & Archiepiſcopi Bracarenſis cùm Epilogo operis.

IIs, quæ in Procemio ſcripſi, ſanctiſſimum ac ſapientiſſimum Prædicatorum Ordinem hoc jam decreviſſe, ut abdicaret ſe ab Inquiſitionis munere; conſonat, quòd in calce opuſculi ſcribam, Ven. Fr. Bartholomæum de Martyribus Dominica-

num, Archiepiſcopum Bracarenſem, compertiſſimæ Sanctitatis virum, & Tridentini Concilii inſigne ornamentum, in eâdem opinione fuiſſe; quam hactenus defendimus: Inquiſitionem Clero Seculari demandari oportere. Id conſignatum reliquit clariſſimus vir in quodam ſuo opuſculo, quod tom. 2. Operum, noviſſimè vulgatum Romæ eſt. Hic eſt opuſculi titulus. „ Petitiones quas Ven. Servus „ Dei Bartholomæus à Martyribus in „ Concilio Tridentino facere intende- „ bat. "

„ Hæc ſunt, quæ in Concilio Tri- „ dentino zelanda, & poſtulanda viſa „ ſunt, quando ego Fr. Bartholomæus „ Archiepiſcopus, & Primas Bracaren- „ ſis fui in eo præſens anno Domini „ 1561. " Sub Titulo de Epiſcopis. Num. 8. *Sua quiſque in Diœceſi, prout hoc de jure poſſunt, ipſimet Epiſcopi Inquiſitionem exerceant.* Hæc fuit aurea ſententia Fr. Bartholomæi Dominicani, ſed venerabilis, & Archiepiſcopi: ad quam tamen dignitatem invitus evectus fuerat. Hoc ſibi viſum eſt zelandum, ac poſtulandum in Tridentino Concilio. In hunc ipſum finem committendi Inquiſitionis exercitium Seculari Clero intenderunt alii Patres Tridentini: quamvis

aliâ viâ, hujuſque rei teſtis eſt hic idem Venerabilis Epiſcopus. Pag. itaque 391. ſub hac inſcriptione. *Varia ſtatuenda ab aliis* ſcilicet Patribus *propoſita*, *& à Fr. Bartholomao collata*, *atque notata.* Subſequuntur petitiones 85., quarum 71. ſic habet. *Sint ubique terrarum Inquiſitores Hæreticæ pravitatis ad formam*, *& modum Hiſpaniæ.* Jam hæc forma eſt, hic modus Inquiſitionis Hiſpanicæ : ut Clero Seculari ejus adminiſtratio committatur, expulſis per Ferdinandum Catholicum Dominicanis Fratribus; uti poſt Azorium ex antiquis, teſtatur Pignatellus ex recentioribus. Habemus igitur conſentientes propoſitæ opinioni, tùm Fratres ipſos Dominicani Capituli, tùm Venerabilem ſervum Bracarenſem Archiepiſcopum, ex eodem Ordine, præter alios Tridentinos Patres. Scio ex Hiſtoriâ Concilii Tridentini, Epiſcopos Mediolanenſes detrectaſſe Inquiſitionem Hiſpanicam : At factum hoc non adverſatur veritati prioris. Prætereà tamen forma ac modus Inquiſitionis Hiſpanicæ, in ſubſtantialibus diſplicuit Præſulibus Mediolanenſibus : ſed adjuncta aliqua nimii rigoris, qui propter Maurorum ſuperſtitiones Hiſpaniæ congruit; non Italiæ. Cæterùm formam, ac modum

Hiſpanicæ Inquiſitionis, in iis, quæ præcipua, ac ſubſtantialia ſunt : uti eſt adminiſtratio ejus per Secularem Clerum, utique non diſplicere Epiſcopis potuit : Multòque minùs vel Epiſcopis, vel Principibus diſpliceret, ſi ratio quædam ex utrâque ſententiâ, tùm Bracarenſis, tùm aliorum PP. Tridentinorum mixta, ac temperata excogitaretur : & quemadmodum Inquiſitionis Venetæ Tribunal coaleſcit ex Patriarchâ ipſo (Epiſcopos enim Spiritus S. poſuit regere Eccleſiam Dei) tùm ex peculiari delegato Inquiſitore, unà cum Pontificio Nuncio adſtante, ac Secretorum conſcio Senatore Veneto; ita non abſimili quodam modo placuiſſet Inquiſitionum Tribunalia inſtitui. Satis hæc forma cohæreret cum Pontificiis Conſtitutionibus antiquioribus Seculi XIII. legendis poſt Pegnam in Directorio, ejuſdem ſæculi, Canonicis pluribus inſtitutis ibidem additis.

Legat, qui vult Conſtitutionem Innocentii IV. *Ad extirpanda* Ann. 1252. poſt Pegnam in Appendice pag. 7. ibidem forma Tribunalis Inquiſitionis præſcribitur, Coaleſcens. 1. Ex Epiſcopo : 2. Ex duobus Dominicanis, & totidem Franciſcanis Inquiſitoribus : 3. Ex Officialibus quibuſdam per po-

teſtatem Laicam deputatis, ex Concilio Diœceſano & Inquiſitorum electis; viris probis, & Catholicis. Eam Conſtitutionem pluries confirmavit, ac declaravit Alexander IV. Bullis poſt Pegnam legendis: quæ omnes de Hæreticis loquuntur, ac de Hæreſi ſuſpectis. Quare idem Alexander IV. Cap. *Accuſatus* de Hæreticis in 6°. „ Sanè in„ quit, cùm negocium Fidei, quod „ ſummè privilegiatum exiſtit, per oc„ cupationes alias non debeat impediri: „ Inquiſitores... De divinationibus, aut „ ſortilegiis, niſi Hæreſim ſaperent ma„ nifeſtè, intromittere ſe non debent, „ nec punire talia exercentes, ſed eos „ relinquere ſuis Judicibus puniendos..." (*a*) ne per cauſas hujuſmodi, offendi-

(*a*) Cùm in Civitate Peruciæ, in Sacrario Monialium S. Thomæ, furtum quoddam perpetratum eſſet; Monialis Sacriſta Fratrem Inquiſitorem, ſuumque amicum rogavit, ut aliquid diligentiæ adhiberet ad furem detegendum. Is illicò per Tribunalis Mandatarium eos ad ſe vocavit, qui in aliquam de furto illo ſuſpicionem adduci poterant: ac ſedens pro Tribunali, minitanſque Inquiſitionis carcerem, inſtituit; ut faterentur crimen: cujus cùm ſe innocentes affirmarent, conſueto ſecreti juramento fuerunt adſtricti; nec ſine terrore dimiſſi. At quandonam furari Monialibus argenteum vas publicè expoſitum, fuit cauſa Inquiſitionis?

culum negocio Fidei præpararetur.

Hujuſmodi Inquiſitoris Tribunalis formam non inhorruiſſent Principes, qui in eo ſatis præcipuum locum haberent: Neque aliâ de causâ huic Tribunali Rex Hiſpaniarum patrocinatur; niſi quia omnium conſcius eſt. Non inhorruiſſent Epiſcopi, quibus Inquiſitores dati fuiſſent in adjutorium, non in imperium, & conculcationem: non inhorruiſſent Regulares, qui promiſcuè ex hoc, vel illo Ordine ad conſultationem, ac moderatam & dependentem gubernationem vocarentur: non ſubderentur Dominationi illius Ordinis, qui à Queſnello in ſuo ſcripto, apud Meyer in Præfatione recitato appellatur, Articul. 2°. *Un grand Ordre puiſſant à Rome.* Non inhorruiſſent Populi, qui non niſi de crimine Hæreſeos poſtulari in Judicium timerent. At Fratres quidem omnia ſusdeque miſcuerunt, libidine dominandi. Cum Laicis Principibus communicationem omnem interdictam voluêre; Epiſcopos, vocari quidem patiuntur Inquiſitores natos, re tamen ipsâ ab hoc negocio excluſerunt; rejectis ferè reliquis Regularibus, ſibi maximè dominationem uſurpârunt Dominicani Fratres. Denique ut eſt dominandi libido infinita, cauſis Hæ-

R 4

reſeos alias innumeras, extortis Pontificiis Conſtitutionibus, adjunxêre: & ad ſuum judicium advocârunt, ut tandem anno 1745. Impreſſio Libri, non obtentâ facultate Magiſtri S. Palatii Dominicani; caſus, ut aiunt, Inquiſitionis decretus fuerit. Dolendum itaque vehementer eſt, non tamen mirandum, quòd in ſanctiſſimum cæteroquin Tribunal, tot ſint jacta maledicta, atque convicia, quorum plura legere eſt apud Van Eſpen in Append. Libri de promulgat. Legum: Tot malis unum omnium remedium eſt, quod proponimus.

Quod ut libentiùs ii, quorum intereſt his malis mederi, amplectantur, accedat Epilogi loco Suffragium Alexandri VII., Huic minimè arridebat forma Romanæ Inquiſitionis, uti à Dominicanis adminiſtrabatur. Nec mirum: Cùm enim adhuc Cardinalis ſub Innoc. X. Congregationibus intereſſet de negocio quinque Janſenii Propoſitionum; teſtis oculatus fuerat, utrumque Reverendiſſimum Fratrem ex Dominicanis, tùm Commiſſarium S. Officii, tùm Magiſtrum S. Palatii acerrimè pro Janſenio, tanquam pro S. Auguſtino diſputaſſe, ejuſdemque Janſenii Iprenſis cauſam flexis genibus, peroraſſe, uti teſtatur Gallica Hiſtoria

quinque Propoſitionum Tom. 1. Lib. 1. Præterea cùm Bullam de Conceptione meditaretur, in S. Officii Congregatione, tùm Commiſſarium, tùm reliquos Dominicanos Fratres, ab eâ rejecit: uti legere eſt in Hiſtoriâ P. Strozzi. Ut itaque, quæ ad Congregationem S. Officii, atque Indicis pertinent, feliciùs procederent, hæc omnia à Fratrum imperio divellere cogitabat. Audiendus Continuator Ciacconii in Alexandro VII. „ Deſtina-
„ verat, & virorum Collegium inſtitue-
„ re Sacrarum omnis generis Literarum
„ eruditione præſtantium; qui ex om-
„ nibus Chriſtiani Orbis Provinciis le-
„ gerentur; prout quiſque famâ, atque
„ ingenio clarus eſſet: Horum operâ,
„ & conſilio uti volebat in definiendis
„ Fidei Controverſiis, & retundendis
„ calamis Romanæ Sedi infenſis, qui-
„ bus Theologorum noſtrorum, qui
„ Scholaſtica tantùm nôrunt, ſtudium
„ impar eſt. Ex quo profectò ingens
„ ſummis Pontificibus præſidium, ipſi
„ autem Urbi decus, atque exiſtimatio
„ accederet, & ille vel maximus fructus
„ aliquando exiſteret: quòd ſi qua apud
„ exteros præclara ingenia ſuccreſce-
„ rent, vitio gentis, vel aliquâ aliâ de
„ causâ, malè in Urbem Romam ani-

„ mata, allecta ſpe præmiorum, & victa
„ beneficio noſtra fierent. Statuerat enim
„ ad eos viros liberaliter alendos, Colle-
„ gio attribuere reditus inſignium Mo-
„ naſteriorum, quæ ſpectatæ Religio-
„ nis, atque induſtriæ hominibus olim
„ referta, collapsâ in præſens diſciplinâ
„ à priſtinis moribus defecerunt; & ex
„ eorum numero illos, qui diu probati
„ merito, ac ſapientiâ eminerent ad Ma-
„ giſtratus ampliſſimos, & primos Ec-
„ cleſiæ Romanæ gradus provehere.
„ Verùm dum in eo erat, ut operi ma-
„ num admoveret, ſubitò coortâ tem-
„ peſtate, illud in aliud tempus rejicere
„ coactus; ubi reddita ſerenitas eſt, con-
„ flictari morbo cœpit, non minùs acer-
„ bo, quàm diuturno; ex quo decedens,
„ egregii facinoris gloriam naſcituro me-
„ lioribus annis Pontifici, occupandam
„ reliquit.

Hactenùs Continuator Ciacconii. Quamquam hoc loco alia plura complectebatur Alexander VII. de quibus diſſerere non eſt propoſiti inſtituti: ſatis mihi eſt, quod habet de Fratrum dominatione in Clerum Secularem transferendâ; quod magno ſuo bono Hiſpania fecit. In Hiſpaniâ totâ, inquit Pignatelli, in noviſſimis conſultat. Canonicis, con-

ſultat. 124. pag. 508. Tom. 1. „ Fer-
„ dinandus Rex Catholicus ejus nomi-
„ nis V. circà annum Domini 1484.
„ vel 86. poſtulavit, ut Inquiſitorum
„ munere ſeſe Dominicani Fratres ab-
„ dicârent : ac ità Romani Pontificis
„ auctoritate commiſſum eſt Clericis
„ Secularibus, Canonum, ac Legum
„ peritis." Hæc Pignatellus : optimum factum putavit Gregorius XIII. ſi Magiſtrum S. Palatii Dominicanum ex Canonicis S. Petri amoveret; importunis enim precibus, ac ſtudiis, ad fimbrias, & philacteria magis, ac magis dilatanda in præjudicium Secularis Cleri, hoc extorſerant Dominicani à S. Pio V., ut Frater S. Palatii Magiſter Canonicatu S. Petri in perpetuum potiretur; cum omnibus juribus, atque emolumentis : atque inter S. Petri Canonicos ſederet Reverendiſſimus Frater. Prolixas hâc de re literas in formâ Brevis à S. Pio V. datas recitat Bremond. in Bullar. quas tamen Gregorius XIII. Romano Clero plaudente illicò revocavit : eâdem, atque etiam graviori ratione optimum factum erit, ſi judicium Librorum Ordinariis, atque adeò Urbis Vicario juxtà Tridentinum Decretum reſtituatur, quodque magis refert, non modò Secretariatus In-

dicis, ſed S. Officii Commiſſarius Seculari Clero, ſivè graviſſimis Prælatis demandetur. Sanctiſſima enim Regula eſt, totius Eccleſiæ bono, atque ipſorummet Ordinum Regularium ad omnem ambitionem, & cupiditatem eliminandam. *Secularia Secularibus, Regularia Regularibus conferantur.* „ Nemini mi-
„ rum videri debet, ait Pius IV. Con-
„ ſtit. 76. ſi Romanus Pontifex non-
„ nunquam facultates aliquas, quas ipſe
„ vel Prædeceſſores ejus probabili ad-
„ ducti ratione conceſſerunt, poſteà
„ revocet; cùm ipſo rerum uſu edo-
„ ctus animadverterit, eas juſtiori de
„ causâ eſſe revocandas:" Tandem nomini Secularis Cleri hæc tranſcribo ex Epiſt. 49. S. Bernardi ad Honorium Papam. „ Si fallere de his, quæ atteſta-
„ mur, fallivè putamur; Veſtræ citiùs
„ inveniet examinationis diſcuſſio; ſi
„ tamen, quod & vehementer optamus,
„ & ſimpliciter exoramus, de vultu tuo,
„ Pater ſanctiſſime, judicium prodeat;
„ de quo profectò confidimus, quòd
„ cuſtodias innocentiam, & videas æqui-
„ tatem.

AD COMMENTARIUM
BULLÆ
PAULI III.
Quæ incipit : *Licèt ab initio.*
APPENDIX.

Ex Proſcriptione Cenſuræ Duacenſis Recentioris, ſub annum 1725. *per Sacram Indicis Congregationem.*

CElebris eſt Cenſura Duacena, quæ anno 1588. ferè ſimul cùm Lovanienſi prodiit contrà Leſſium, & alios Defenſores gratiæ indifferentis. Celebris quoque eſt Cenſura altera Duacena quæ anno 1722., & iterùm anno 1724. prodiit contrà nonnullos Doctores Janſeniſtas. Utraque delata eſt ad Sedem Apoſtolicam, at exitu valdè diſpari : illa abſoluta fuit, iſta damnata, haud ita pridem ſub Clemente XII. Priorem quidem ac-

cuſârunt Jeſuitæ, & deindè etiam alias, ut vulgatum eſt. Hæ enim Propoſitiones inter alia in Cenſuris Belgicis extabant, quas excerpſit Meyer Hiſtoriæ de Auxiliis lib. 1. cap. 13.

„ 1. Nulla in ſtatu naturæ lapſæ eſt
„ agnoſcenda gratia verè ſufficiens ex
„ parte Dei, quæ nôn ſit efficax.

„ 2. Deus ex parte ſuâ non eſt para-
„ tus dare omnibus auxilium ſufficiens,
„ ſed iis tantùm, qui reipsâ convertun-
„ tur, aut faciunt opus bonum.

„ 3. Angelis Sanctis prædeſtinata eſt
„ vita æterna in præſcientiâ perſeveran-
„ tiæ, quia non egebant gratiâ efficaci,
„ ſed ſolùm eâ gratiâ, quâ poſſent per-
„ ſeverare ſi vellent.

„ 4. Homo carens auxilio ſufficienti
„ (quòd juxtà primam propoſitionem
„ ſimul eſt etiam efficax) ita poteſt cre-
„ dere, & operari bonum; ſicut poteſt
„ manducare panem, cùm panem non
„ habet, nec quidquam unde panem
„ comparet: & ſicut dicitur poſſe vi-
„ dere, qui non habet lucem, ſed in
„ tetrum carcerem conjectus eſt, quam-
„ vis ſine luce viſurus ſit nunquam.

„ 5. Ut homo dicatur poſſe converti,
„ poſſe bonum operari, non opus eſt,
„ ut habeat auxilium ſufficiens ex parte

„ Dei , ſed ſufficit ut habeat naturam
„ liberi arbitrii flexibilem ; ſeu non ob-
„ duratam in malo ; ſicut & in Dœmo-
„ nibus , & Deus poſſit illis dare gra-
„ tiam efficacem , ut convertantur.

Satis probat Levinus Meyer lib. 1. has Cenſuras conſtructas fuiſſe operâ Baii, & Aſſeclarum. Janſenius ipſe, qui lib. 3. de Gratiâ docet ſecundum ex quinque famoſis. *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur :* & ipſo primo Libri capite præfixit hunc titulum. *Oſtenditur nullum dari adjutorium quin ſimul efficax ſit.* Janſenius, inquam, in fronte totius diſputationis collocat autoritatem Cenſuram Belgicarum. „ Omnium aper-
„ tiſſimè, inquit, hoc tamquam S. Au-
„ guſtini Doctrinam docuerunt duæ ce-
„ lebres Facultates Lovanienſis, & Dua-
„ cena. " Melchior Leydeker, celebris Calviniſta Theſi 52. propugnatâ Ultrajecti die 26. Junii 1680. æquè laudat Janſenium, & Cenſuras Belgicas. „ Cor-
„ datiores , inquit , illis Papæ adulato-
„ ribus [qui Bullam contra Janſenium
„ admiſerunt] fuêre Lovanienſes , qui
„ in ſuâ perſtiterunt mente ; eòque ve-
„ hementiùs invecti ſunt in Jeſuitas ,
„ omnium perturbationum cauſas : Nec
„ defuerunt in hunc uſque diem in Uni-

„ verſitate Lovanienſi Doctores, qui
„ Janſenio faverent, quidquid impotens
„ Papa fulminaverit. Utique necdum
„ erant obliti viri docti anteceſſorum
„ ſuorum Cenſuræ, contra oborientes
„ præcedenti Seculo 1586., Leſſianas,
„ ſeu Jeſuiticas Theſes, iterùm confir-
„ matæ anno 1613.: quam Cenſuram
„ probaverat Janſenius, quæque totius
„ adeò Janſeniani voluminis approbatio-
„ nem continebat, uti Jeſuitarum con-
„ demnationem." Hæc Leydeker. Ad-
de Martinum de Suaven Doctorem Lo-
vanienſem, qui inter alias cauſas detre-
ctandi damnationem quinque propoſitio-
num in ſenſu Janſenii, hanc affert in The-
ſibus anno 1689. impreſſis. „ Quis enim
„ non videat periculum imminere non
„ infundatum, ſi propoſitiones famoſas
„ damnarem in ſenſu ab auctore inten-
„ to, ne hinc inferat aliquando R. P.
„ me non meam tantùm, ſed etiam Ma-
„ jorum meorum doctrinam impruden-
„ ter damnaſſe."

Hæc tamen, inquit Meyer lib. 1. cap. 24. & ego cum ipſo, dicta nolim iis Lovanienſis (& Duacenæ) Univerſitatis S. Theologiæ Doctoribus, quales hodiè ſunt plurimi, ut ipſa ſtrictior Facultas penè tota, qui omnia Pontificum Decreta

creta ex æquo ponderantes ejuratis palàm Baii, & Janſenii erroribus, Doctrinam *Cenſuræ* (Lovanienſis, ac Duacenſis) & *Juſtificationis* ejus vel non probant ex toto, vel iis interpretationibus exponunt, ut à Baii, & Janſenii ſenſu ſe proteſtentur recedere. Id ſanè etiam Summi Principes faciunt, cùm non recedunt quidem disertè; ſed ità confirmant ſuorum deceſſorum Decreta, ut ſimul honori eorum conſulentes explicent ſimul, & exercitè moderentur. Cæterùm Accademia Duacenſis recentior, ut mox videbimus, palàm reprehendit antiquam majorum Cenſuram; veluti illitam veneno Janſeniano: cùm nondùm plenè res hæc definita erat.

Quare ipſe etiam laudo Conſilium Romanæ Aulæ, quæ non obſecundavit poſtulatis Jeſuitarum; qui eas Cenſuras proſcriptas quondam volebant. Sufficit, quòd Cenſuræ Belgicæ, quâ parte Leſſii Doctrinam, ut peregrinam, offenſivam, periculoſam notant, fuerint Mandato Sixti V. per Nuncium Apoſtolicum vetitæ promulgari, atque ſuppreſſæ. Vide Meyer lib. 1. cap. 11. Sufficit, quòd Roma denegaverit approbationem Cenſurarum Belgicarum à Deputatis Lovanienſibus nonnullis petitam: conſtat

S

enim ex Archivii S. Officii extractis, die 7. Junii 1679. Concluſionem Congregationis fuiſſe, nihil eſſe reſpondendum Oratoribus, qui eam approbationem flagitaverant : quâ in eâdem Congregatione eodem anno die 20. Decembris decretum fuit; „ quòd abſque expreſsâ li-
„ çentiâ Sanctitatis ſuæ, vel ſacræ Con-
„ gregationis ad dictam impreſſionem
„ Cenſurarum Belgicarum nullo modo
„ deveniant, & quatenùs opus ſit; In-
„ ternuncius invocet brachium ſecula-
„ re, ut pareant.

Scio, quod legitur in Epiſtolâ P. Lupi Auguſtiniani, unius ex Deputatis Lovanienſibus; datâ die 10. Junii 1679. quam unanimi conſenſu recitant, tùm Meyer lib. 1. cap. 3. tùm Hyacinthus Serri in Hiſtoriâ. Suæ Sanctitati in manus proprias dedimus Lovanienſis, & Duacenſis ſacræ Facultatis Cenſuras, nec non Lovanienſis juſtificationem, ſcripto Libello ſupplicantes iſtorum omnium Apoſtolicum examen, & approbationem : & ſua Sanctitas Libellos tranſmiſit ad examen S. Officii : DD. Cardinales, examen delegârunt quatuor Theologis, nempè Magiſtro S. Palatii, Commiſſario S. Officii, & NN.... Hi elapsâ ſeptimanâ judicium ſuum retulerunt ſacræ

Congregationi; cenſuerunt Libellos eſſe ſanæ Doctrinæ, nulli Cenſuræ obnoxios, poſſe tutò doceri, & legi; adeòque & imprimi. Hanc relationem eſſe certam confirmavit Generalis Dominicanorum in Scripto; quod obtulit S. Congregationi, & refert Meyer lib. 1. cap. 24. Scio inquam hæc; ſed quid indè? relegat Lector excerptum ex Cenſuris, quod ſuprà dedi; vel etiam alia; quæ tranſcribit Meyer lib. 1. cap. 26. & perſpiciet quam rectè conſulant ſanæ Doctrinæ, & honori Romanæ Curiæ ii nonnulli Regulares, qui hujuſmodi ſcripta Romæ comprobant; etiamſi ſint Reverendiſſimi Commiſſarii S. Officii, aut Reverendiſſimi Magiſtri ſacri Palatii.

Cæterùm quod ad rem meam facit, eſt aliud planè profundum Myſterium: Cenſura antiqua Accademiæ Duacenſis, adeò favens Baio, ac Janſenio proſcripta non fuit: *Imò Magiſter ſac. Palatii, & S. Officii Commiſſarius eam cum Lovanienſi eſſe ſanæ Doctrinæ, nullique Cenſuræ obnoxiam pronuntiârunt: poſſe etiam tutò doceri, & legi*, adeòque & imprimi (eſto hoc judicium à Pontifice, & Cardinalibus approbatum non fuerit) contrà verò proſcripta eſt per Romanos Domini-

S 2

canos, hujuſmodi proſcriptionum arbitros; Cenſura recentior Duacena contrà nonnullos Profeſſores Janſeniſtas. Quid ad hæc Accademia Duacena? *An non erit qui dicat ſatius illi fuiſſe; ſi in amicitiâ Janſenii perſeveraſſet.* At quam ob cauſam recentior Accademia Duacena magnum hoc proſcriptionis dedecus paſſa eſt? Verùm præſtiterit nonnullam notitiam hujus Cenſuræ recentioris Duacenæ exhibuiſſe.

Titulus eſt.

„ Cenſuræ ſacræ Facultatis Theolo-
„ gicæ Duacenſis in quaſdam propoſi-
„ tiones de Gratiâ, depromptas ex dicta-
„ tis Philoſophicis Dominorum Len-
„ grand, & Marechal: Primariorum
„ Collegii Regii Duacenſis Profeſſo-
„ rum, & Collegiatæ ſancti Amaſi Ca-
„ nonicorum; quorum primus eſt Sac.
„ Theologiæ Licentiatus, alter verò
„ Doctor Artium, & Regius Hiſtoria-
„ rum Profeſſor...... Editio ſecunda
„ M. DCC. XXIV." Hæc autem præmittuntur omninò legenda, quæ occaſionem dedêre Cenſuræ in magnum Eccleſiæ commodum evulgandæ

„ Sparſa eſt nuper in vulgus Epiſto-
„ la Sac. Facultati Theologiæ Duacenſi
„ inſcripta; quâ dictata Philoſophica

„ Dominorum Lengrand, & Marechal, „ Primariorum Collegii Regii Duacenſis „ Profeſſorum, eidem Facultati denun„ ciantur: ut præcipua Hæreſis Janſe„ nianæ dogmata apertè continentia. Hoc „ ſcripto tanquam Claſſico excitus Exi„ mius D. Decanus, S. Facultatem in „ diem 29. Aprilis convocavit, eique in „ ejuſdem Comitiis expoſuit, ſe præfa„ tam Epiſtolam accuratè legiſſe; in eâ „ proferri luculenta, & copioſa memo„ ratorum codicum excerpta, damnatæ „ Janſenii Doctrinæ prorsùs conſenta„ nea: Hæc ſi vera ſint, ſtudioſam Ju„ ventutem Collegii Regii à multis an„ nis peſtiferâ doctrinâ imbutam fuiſſe: „ tantumque malum in dies augendum, „ atque propagandum, niſi Sacer Con„ ſeſſus, quantum in ipſo eſt, illud com„ peſcat, & clamore valido manus auxi„ liares advocet. Ad audita obſtupuêre „ animi, & quidem eò magis, quòd in „ publicis Collegii Regii Theſibus, nulla „ hæreſis Janſenianæ lineamenta unquam „ apparuerint. Ex quo intellexerunt eò „ majori periculo obnoxios fuiſſe diſci„ pulos, qui perverſis dogmatibus clam, „ & inter anguſtæ Scholæ parietes in„ ſtituerentur, nullo adſtante, qui in„ cautos de periculi magnitudine mo-

„ neret. Poſt varia hinc, & indè dicta
„ de urgentiſſimâ obligatione tuendi
„ Conſtitutiones Pontificias adversùs
„ profanas, & concatenatas Janſenii
„ Iprenſis, & Paſchaſii Queſnelli no-
„ vitates: de arcendis, & fortiter pro-
„ pulſandis illis erroribus ab hâc Univer-
„ ſitate, & Provinciis adjacentibus; de
„ præmuniendis diſcipulis adversùs ma-
„ lum, quod inſtar Hydræ, & colubri
„ tortuoſi incautis præſertim inſidiatur;
„ concluſum fuit, denunciationem me-
„ moràtam, ab omnibus & ſingulis Do-
„ ctoribus legendam, atque relegendam,
„ ac novam relationem ab eximio D.
„ Decano indicendam, ad pleniorem tan-
„ ti momenti diſcuſſionem faciendam. Ha-
„ bitæ ſunt poſtmódum frequentes de
„ eodem negotio deliberationes: Exa-
„ mínata diligentiſſimè Profeſſorum di-
„ ctata: de quibus conſtitit ea fuiſſe ab
„ ipſis excepta in publicis, ac ordinariis
„ Lectionibus, ex juratis Diſcipulorum
„ teſtimoniis coram Notario exhibitis.

„ Textus animadverſione digni in ſep-
„ tem Articulos diſtributi ſunt, præfi-
„ xis ſpecialibus titulis. Facta inſuper
„ illorum Articulorum collatio cum fa-
„ moſo, & damnato Janſenii Auguſti-
„ no, & juſſu S. Facultatis inſtru-

„ ctum eſt parallelum utriuſque Tex-
„ tûs, quemadmodum ipſe Janſenius
„ aliàs conſtruxit parallelum erroris Maſ-
„ ſilienſium, & opinionis quorundam
„ recentiorum. Hinc intelligetur tantam
„ eſſe conformitatem dictatorum, &
„ Doctrinæ Janſenianæ; ut non ſit ovum
„ ovo ſimilius. Erit inſuper hoc Paral-
„ lelum inſtar Lapidis Lydii; cujus
„ contactu dignoſcetur, an variorum re-
„ centiorum aſſerta ſint Janſeniana, nec
„ ne: Quamvis enim non omnia, quæ do-
„ cuit Janſenius, ſint hæretica, ſicut nec
„ omnia quæ ſcripſit Calvinus, con-
„ ſtat tamen neminem poſſe convenire
„ vel in uno ex dictis ſeptem Articulis,
„ niſi quinque ejus hæreſibus conſentiat,
„ vel apertè, vel implicitè, & æquiva-
„ lenter. Sic enim colligata ſunt hujus
„ Authoris dogmata: ut unum aſſumi
„ non poſſit, quin & alia ſequantur in-
„ ſtar annulorum ejuſdem catenæ. Hinc
„ proindè lucebit omnium Scholarum
„ Catholicarum Siſtemata de Gratiâ, ac
„ nominatim celeberrimæ Thomiſtarum
„ Scholæ à fermento Janſeniano alieniſ-
„ ſima eſſe: nec ullam ejus cum præ-
„ tenſis Auguſtini Diſcipulis erroris
„ Societatem intercedere. Tandem Sac.
„ Facultas invocato Spiritûs S. lumine

„ de Doctrinâ dictorum ſeptem Articu-
„ lorum pronunciandum cenſuit, ut ſe-
„ quitur, adjectis etiam aliquot annota-
„ tionibus, quibus mens ejus pleniùs in-
„ noteſcit, vana errantium ſubterfugia,
„ & fraudes aperientur, & quidem ho-
„ rum fautores deſignabuntur.

Hanc Præfationem, quicunque legerit, multòque magis ſi totam Cenſuram ſanè doctiſſimam, & accuratiſſimam perluſtraverit, certior fiet; veriſſimè ſcriptum à clariſſimâ hâc Univerſitate pag. 95.
„ Illos Profeſſores à 20. & 30. annis
„ egiſſe Comædiam in Collegio Regio
„ Duacenſi, illos ſub larvâ, ſeu perſo-
„ nâ Thomiſticâ Hæreſes Janſenianas ſy-
„ cophanticè ſuis diſcipulis venditaſſe
„ cum magno Reipublicæ Chriſtianæ
„ detrimento; Machinationem illam,
„ ſeu potiùs prævaricationem non po-
„ tuiſſe diutiùs tolerari, ſed omnibus ex
„ charitatis, & juſtitiæ debito aperien-
„ dam, & manifeſtandam eſſe, atque ad
„ ſupremas poteſtates deferendam.

At quid fuit, cur Romani Dominicani in hanc Cenſuram adeò de Sede Apoſtolicâ benemeritam commoverentur, uſque ad ignominioſiſſimam ejus proſcriptionem, quam neque adventu ſuo in Urbem Eminentiſſimus Mechli-

nienſis convellere, & refigere potuit: adeò ſuprà ipſos Cardinales, Regulares ii potentes in Urbe ſunt! Nimirùm læſum fuiſſe dixêre ab hac Cenſurâ S. Thomam, idque vulgatum eſt ſcriptis, ſeu libris nonnullis in hanc Cenſuram editis. Audiamus, quæſo, imaginariam S. Thomæ offenſam. „ Cùm, inquit Cenſura, opera Sylvii fuerint ab ipſo edita ante „ Tragædiam Janſenianam, non eſt mirum, ſi quædam etiam occurrunt in „ eis duriora, & emendatione digna; „ quæ vir optimus veriſimiliter exiſtimavit à Lectoribus benignè explicanda: qualia ſunt, quæ docet in primam „ partem de voluntate ſalutis omnium, „ quam aſſerit eſſe in Deo tantùm eminenter, & metaphoricè: ſicut Deo „ tribuuntur dolor, & pœnitentia: & „ quam interpretatur ut Eſtius. Item in „ 1. 2. de Præceptorum poſſibilitate, ad „ quam dicit eſſe impertinentem Gratiam „ ſufficientem; item in 3. p. de Oratione Chriſti pro Crucifixoribus, quam „ nullâ diſtinctione adhibitâ reſtringit „ ad aliquos. Illi quidem, *quo ad hoc* „ *praivit S. Thomas*, *ſed omnes Thomiſtæ* „ *poſt Conſtitutiones Pontificias adverſus* „ *Hæreſim Janſenianam explicant Magiſtrum*:" Vide Ludovicum Bancel tom.

2. q. 4. de volunt. ſalutis omnium art. 5. §. 9. pag. 420. 21. & 22. Hæc magna illa eſt S. Thomæ offenſa; verba ejus ſimilia fuiſſe verbis Silvii : quod eſſe veriſſimum, qui ſciat legere, videt, at ſenſum à Thomiſtis explicatum eſſe diverſum.

Hæccine Dominicanam rabiem merebantur in Univerſitatem Duacenſem, adeò addictam Romanis Pontificibus, ut ne quidquam jubente Ludovico XIV. noluerint amplecti propoſitiones quatuor Cleri Gallicani anni 1682. Verùm hujus Univerſitatis in Sedem Apoſtolicam merita clamant ſingulæ paginæ hujus recentioris Cenſuræ : Ac præcipuè pag. 110. & 111., & ſequentes, in quibus ea celeberrima Accademia exemplum præbet obedientiæ in Sedem Apoſtolicam ſingularis.

„ Nec eſt, inquiunt, quòd Novato-
„ res exprobent, nos [Duacenos] aliter
„ loqui, & ſentire de gratiæ ſufficien-
„ tiâ, ejuſque diſtributione, nec non de
„ voluntate Dei ſalvandi omnes, & mor-
„ te Chriſti pro omnibus, quàm Majo-
„ res noſtri in famoſâ Cenſurâ [contra
„ Leſſium] anni 1588. Nam Janſenius
„ l. 3. de gratiâ c. 1. majorum noſtro-
„ rum Duacenſium Cenſuram anni 1588.

„ ſicut & Lovanienſem ejuſdem ferè
„ temporis impenſè laudat, eaſque ceu
„ baſes ſuarum Hæreſum præmittit. Ete-
„ nim cap. 13. & 21. ejuſdem Libri non
„ aliundè infert præceptorum impoſſi-
„ bilitatem in juſtis, & Chriſtum pro
„ ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum mor-
„ tuum eſſe, quàm ex eo quòd in hoc
„ ſtatu non detur gratia ſufficiens, ut
„ in prædictis Cenſuris aſſeritur. Ut
„ quid igitur pertinaciter adhærere Cen-
„ ſuræ Duacenæ anni 1588., ex quâ
„ conſectaria tam horrenda non obſcu-
„ rè deducuntur? In prædictâ Cenſurâ
„ Duacenâ anni 1588. ab aſſertione. 1ª.
„ Sub tit. de Prædeſtinatione, & Re-
„ probatione ad aſſertionem 20. multa
„ continentur circa præceptorum poſſi-
„ bilitatem, Chriſti Orationem, & mor-
„ tem, voluntatem Dei ſalvandi omnes,
„ quæ correctione indigent. Authores
„ Cenſuræ anni 1588. ad aſſertionem
„ ſecundam dicunt ſimpliciter. *Scriptu-*
„ *râ teſte, nec Chriſtus pro omnibus orat*
„ *Patrem*: Quid ineptius illo argumen-
„ to, quo tàm ſæpè ex orationis ne-
„ ceſſitate contendunt probare, non dari
„ auxilum ſufficiens ad implenda præ-
„ cepta.... In hoc peccârunt Majores
„ noſtri, ſicut & Janſenius, quòd ma-

„ gis ad peccatum originale attenderint, quàm ad beneficium Redemptionis Chriſti . . . . . Quòd Majores noſtri Duacenſes errârint, aut minùs circumſpectè locuti ſint, id infirmitati humanæ tribuendum eſt, nec ideò quidquam eorum honori, & famæ detrahendum. Similibus nævis obnoxii ſunt Patres, quos impensè veneramur, & uſque ad æthera extollimus. Majores noſtri pietate, doctrinâ, ac eruditione clariſſimi fuerunt. Si igitur à recto veritatis tramite deviârunt, non id malâ fide factum eſt.... Non Conſtitutionibus Apoſtolicis reſiſtendo, non ab iis appellando, non aliis technis cavillando; ſed veritatem necdum ſatis elucidatam in cordis ſimplicitate quærendo, paratiſſimi interim opiniones præoccupatas ad Sedis Apoſtolicæ nutum corrigere, deſerere; ac penitùs abolere. Nos quidem illis doctrinâ, pietate, ac ingenii capacitate inferiores ſumus; ſed Conſtitutionibus Apoſtolicis edocti, quædam in eorum commentariis audemus reprehendere; quæ ipſi iiſdem Spiritûs Sancti Oraculis imbuti, proculdubio correxiſſent.

O voces aureas, & immortalitate di-

gniſſimas! Notum eſt, quàm addictæ ſint Accademiæ, atque Univerſitates Majorum ſuorum opinionibus publico ſcripto evulgatis; multoque magis, cùm id factum eſt, non ſine magnâ animorum contentione. Attamen rariſſimo, ſed certè admirabili exemplo Cenſura Duacenſis anni 1722., & iterùm ann. 1724. improbat, & reprehendit Cenſuram majorum anni 1588.; quia difformem Doctrinæ Conſtitutionum Apoſtolicarum, & veneno Janſeniano infectam: contrà verò Romani Dominicani rerum arbitri in libris damnandis, vel abſolvendis; Cenſuram antiquam Duacenſem non ſolùm non damnârunt; ſed quantùm in ipſis fuit, approbârunt tanquam *innoxiæ*, & *ſanæ Doctrinæ*: Contrà verò Cenſuram recentem ann. 1722. & 1724. Janſenianos errores invictè reprobantem, Janſenianis Doctoribus obſiſtentem, Conſtitutionibus Pontificiis obſequentiſſimam annumerant libris vetitæ lectionis leviſſimo prætextu, quòd læſerit S. Thomam vel etiam, quòd laudatis pag. 56. genuinis Thomiſtis, ſpurios Thomiſtas vituperaverit „ qui vel apertè, & dire-
„ ctè Janſenii, & Queſnelli Hæreſes,
„ ac errores tuentur; vel illis impensè
„ favent, atque hos inter deſignaverit

„ Mauſſolié , & Contenſon Dominica-
„ nos : Quòd Mauſſolié Tom. 2. diſſ.
„ 3. qu. 6. ipſiſſimum Janſenii Iprenſis
„ ſiſthema de duabus delectationibus in-
„ deliberatis, latiſſimè expoſuerit ;" &
quòd toti Ordini ſuo hoc opere illuſerit.
Quòd addiderit *Mauſolieo quadantenùs audaciorem fuiſſe Contenſonium*, *qui* Tom. 1. L. 8. diſt. 5. *fateatur Alexandrum VII. declaraſſe Propoſitiones in ipſo Janſenii ſenſu fuiſſe damnatas*, *& tamen deſperatam ejus Auctoris cauſam apertâ fronte ſuſceperit*, *& alterum ſuæ temeritatis ſpecimen præbuerit*. L. 5. diſſ. præamb. cap. 2. Coroll. 2. *Ubi docet*, *nec Pontifices*, *nec Concilia in diſcernendis Librorum damnatorum ſenſibus eſſe infallibilia*.

Addit tamen modeſtiſſima Cenſura ,
„ Nullo tamen hinc ex Contenſonio ,
„ neque indiſcreto Mauſſoliei conatu la-
„ bes infertur ſanctiſſimo , doctiſſimo ,
„ ac de Eccleſiâ optimè merito Præ-
„ dicatorum Ordini. Quæ enim So-
„ cietas in Eccleſiâ , quæ Congregatio ,
„ ſivè Religioſa , ſivè Secularis , ſivè
„ Franciſcanorum , ſivè Auguſtiniano-
„ rum , ſivè Jeſuitarum unquam fuit ,
„ aut erit ; in quâ quidam non aliquan-
„ do à recto tramite devient , ſivè in
„ moribus , ſivè in doctrinâ ?" Fruſtrà

tamen fuerunt hæc ad Romano-Domicanam indignationem avertendam. Res accidit, quam non ſine ſtupore audiant Inſulæ, & attendant Populi de longè: ex duabus Cenſuris ab eâdem Duacenſi Academiâ profectis alterâ antiquitùs ann. 1588. Non ſine Baii dolis, & artibus, alterâ recentiùs ann. 1722. & 24.; illa conſentiens Janſenii erroribus, quemadmodum ipſamet Academia ingenuè confitetur: iſta propugnans Pontificiam Conſtitutionem contrà Janſenium, & Queſnellum: ex duabus, inquam, diſſimilibus adeò Cenſuris illa abſolvitur à Romanis Dominicanis, & quantùm in ipſis fuit, probatur, iſta damnatur, adeò Univerſitatibus ipſis, & Catholicis Academiis tutius eſt Fidem læſiſſe, ac Pontifices; quàm Dominicanos.

Proſcriptionem hanc tribuo iis, quos dixi Regularibus: eſto magna nomina præ ſe ferant, *Eminentiſſimorum*, & *Reverendiſſimorum Cardinalium Indicis*. Hæc enim methodus eſt, & ratio, quâ Indicis proſcriptiones peraguntur: Dominicanus Secretarius Reviſorem ſibi benè viſum deſignat; hic Cenſuram legit audientibus Cardinalibus, & ſedentibus, qui Fidem Cenſoris ex auditu ſequentes, non ejus Scriptum examinantes, in

ipſius Sententiam ſtatim abſque ulteriori Inquiſitione deſcendunt. Ejuſmodi autem proſcriptio, quæ hâc methodo peragatur, non Cardinalium, ſed Dominicani Secretarii proſcriptio eſt. Quantum autem odii, & contemptûs in optimos Romanos Pontifices ex univerſo Orbe Catholico derivetur, ipſamque Indicis Congregationem, hâc iſtorum Regularium uſitatâ praxi, bardus, ac ſtupidus eſt, qui non intelligat.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MAG 2012056